311
5R3

Digitized by the Internet Archive
in 2011 with funding from
University of Toronto

http://www.archive.org/details/chronicaetchroni07reic

The [illegible] of [illegible]
LIB[illegible]
Toro[illegible]

# MONUMENTA
ORDINIS
# FRATRUM PRAEDICATORUM
HISTORICA

**TOMUS VII. Fasc. I.**

## CHRONICA
ET
## CHRONICORUM EXCERPTA
HISTORIAM ORDINIS PRAEDICATORUM ILLUSTRANTIA

EDIDIT

FR. BENEDICTUS MARIA REICHERT

EIUSDEM ORDINIS

**ROMAE**
IN DOMO GENERALITIA
10, via dicta «San Sebastiano», 10

**ROMAE**
EX TYPOGRAPHIA POLYGLOTTA S. C. DE PROPAGANDA FIDE
1904

# CHRONICA

ET

# CHRONICORUM EXCERPTA

## HISTORIAM ORDINIS PRAEDICATORUM ILLUSTRANTIA

EDIDIT

FR. BENEDICTUS MARIA REICHERT

EIUSDEM ORDINIS

ROMAE

IN DOMO GENERALITIA

10, via dicta « San Sebastiano », 10

ROMAE

EX TYPOGRAPHIA POLYGLOTTA S. C. DE PROPAGANDA FIDE

1904

THE INSTITUTE OF MEDIAEVAL STUDIES
FEB 5 1954
LIBRARY
18255

# LECTORI

Dudum apud Fratres Praedicatores vulgatissimus est liber qui inscribitur, *Vitas Fratrum Ordinis Praedicatorum,* a Giraldo de Fracheto, Lemovicensi, anno 1260. absolutus. Quintam Operis partem in plerisque codicibus excipiunt « Chronica Ordinis », ubi breviter enarrantur quae a Praedicatorum instituto proxime condendo ad annum usque 1254. evenerunt.

Memorati libri exemplum, Ulmensis conventus usui saeculo XV transcriptum, exstat in Bibliotheca aulica Vindobonensi, numeris XII. 29. 1507. notatum, cui adiecta sunt Chronica Ordinis, non modo ab auctore primaevo incepta, sed etiam a scriptoribus anonymis ad extremum saeculum XV, procedente die, perducta.

*Vitas Fratrum* nova luce donari abs re omnino foret, cum non adeo pridem a Fr. Benedicto M. Reichert ad membranarum veterum fidem castigatae prodierint. Neque ipsis annexa Chronica publici iuris hodie faceremus, nisi in Ulmensi codice quamplura reperirentur seriore tempore descripta, quae Praedicatorum in Germania conditionem, et disciplinae regularis instaurationem illustrent, quaeve rerum chronologiam compleant aut emendent.

Unum nobis dicendum superest: quid nempe significet nota ꝭ in his Chronicis usitata. Eam nonnisi in libris, qui inter divina Officia aut communem Fratrum refectionem legebantur, occurrere sciunt qui coenobiorum codices aliquando versaverint. Haec porro eius ratio est:

Aevo medio, vix aliquid in Ecclesiarum odeis aut Regularium tricliniis sine musico modulamine

pronuntiabatur. Ubinam autem sententiarum vox flectenda, aut attollenda, aut deponenda foret, signis in codice appositis Recitator moneri solebat. Sic vero notati codices « versiculati » codices dicebantur. Vocem flectendam esse indicabat nota ʔ, attollendam duplex punctum, deponendam simplex punctum ante litteram maiusculam positum.

Quoties per contextum licuit, supradictas notas ut sunt in Ulmensi codice retulimus. Passim tamen aliquas loco movere nos coëgit sententiarum intelligentia. Quod ab editoris fide minime abesse censuimus, cum interpunctioni debeant mens auctoris arbitraque ratio praestare. Ceterum prima inspectione liquet praefatas notas, (signanter notam ʔ) plerumque recentiore manu codici insertas fuisse. Eas forsitan addiderit « Corrector in mensa ». Coniecturam nostram ad veritatem propius accedere censebit quisquis hunc Humberti locum legerit :

« Officium Correctoris in mensa est ordinare cum praelato quid, quo tempore, sive in prandio, sive in cena, sive in collatione legatur ; et mutuo accipere libros aliquos ad hoc utiles, cum licentia eiusdem, cum in domo non habentur ; et de ipsis custodiendis et reddendis curam habere, et dare operam erga praelatos quod illi de domo, in quibus oportet legere, corrigantur bene, et PUNCTENTUR, et VERSICULENTUR. » *B. Humberti de Romanis* Opera de Vita Regulari ed. I. I. BERTHIER, Romae 1889. II, pag. 300.

Vindobonae apud nostros Praedicatores libros sancti Antonini iam typis excusos vidimus, quorum loca nonnulla de Ecclesiae historia aut sanctorum gestis calamo serius VERSICULATA reperimus.

**Fr. V. L.** *Ord. Praed.*

# LECTORI

Chronicon ordinis, quod nunc primum integrum (1) iuris publici facimus, debetur fr. Petro de Arenys (2). De natalibus suis vitaeque curriculo auctor ipse nos certiores facit. Natus anno 1349, die 10. decembris, cum nondum tredecim annos aetatis complevisset, ordini fratrum Praedicatorum in conventu S. Catharinae Barchinonensi (3) nomen dedit, fungente prioratu fr. Petro Iacobi. Cuius e manibus die 9. octobris 1362, ante altare maius in choro, sacrum ordinis habitum recepit. Probationis anno elapso mense octobris 1363 eidem priori ordinem professus est.

Initiatus iam ordinis consuetudinibus et observantiis regularibus, philosophicis disciplinis per octo annos operam dedit in diversis suae provinciae conventibus.

(1) Cl. P. Denifle quaedam ad vitam Benedicti XIII. papae pertinentia ex hoc chronico transcripsit et in *Archiv für Litteratur-und Kirchengeschichte des Mittelalters* etc. III, 645 sqq. edidit.

(2) Huius nominis duo oppida hodie exstant in prov. Barchinonensi paululum ab invicem distantia, scilicet Arenys de Mar (i. e. ad mare) et Arenys de Munt i. e. in montibus. Quorum antiquius Arenys de Mar propter frequentes invasiones piratarum incolae reliquerunt et alterum inter montes situm constituerunt sibi sedem. Pacis turbatoribus denique repulsis iterum domicilium collocaverunt ad litus maris. Urbs patria vero Petri nostri quaenam sit, difficile est dictu.

(3) De quo conventu cf. Santa Catalina, recopilación de los borradores de la monografía de la iglesia y claustro del derruído convento de padres Dominicos de Barcelona por Casademunt. Rogent. Barcelona 1886.

BQX
7311
.C5R3

Primo quidem in conventu Barchinonensi studio metaphysicae per unum annum incubuit (1364), deinde per annos quinque studio logicae, quod in eodem conventu incepit et etiam absolvit, ea tamen ratione, ut secundum annum logicae in conventu Maioricensi, quartum vero in Ilerdensi perficeret, quibus omnibus in locis viri haud parvi ingenii, ut erant Michael Rourich, Iacobus Uchman, Guillelmus de Casademunt, B. de Cavilla, Ioannes de Gonjro, scientiam illam tradebant. Cursu logicae rite expleto studiis naturalium, uti dicunt, se applicuit sub fratre Michaele Rourich supradicto, docente tunc anno 1370 Valentiae et 1371 Barchinonae.

Disciplinis philosophicis imbutus non sinitur statim adire litteras sacras, sed per alios duos annos praeficitur lector studentibus logicae in conventu Tarraconensi (1372) et Valentinensi (1373). Quo munere functus per annos 1374 et 1375 in conventu suo nativo studio sacrarum litterarum vacare coepit. Anno sequenti (1376) capitulum provinciale Calatajubii celebratum Petrum nostrum assignat magistrum naturarum pro conventu Valentinensi, subsequens vero capitulum Balagueri celebratum ad idem munus subeundum in conventu Barchinonensi. Anno denique 1377 studiorum theologicorum causa petit Tolosam et anno 1378 eadem de causa commoratur Parisiis in studio ordinis generalissimo. Tunc enim temporis adhuc vigebat ordinis consuetudo mittendi ex quacumque ordinis provincia studentes magis aptos et idoneos ad studia generalia aliarum provinciarum, praecipue Bononiam, Coloniam, ad Montempessulanum, Oxo-

niam; pro summo vero honore habebatur assignatio ad studium Parisiense.

Reversus in provinciam suam auctor noster lectoris officio fungitur anno 1379 Tarraconae, Barchinonae 1380 biblici, magistri studentium Barchinonae et Valentiae 1381, 1382 Barchinonae sublectoris et lectoris Ilerdae 1383. Anno vero 1385-1386 Bononiae legit sententias in collegio sancti Pauli. Anno denique 1390, 41 annos natus, laurea magisterii insignitur, supplicantibus pro eo apud summum pontificem Clementem VII. Ioanne rege et Iolanda regina Aragonum (α).

---

(α) Venerabili fratri episcopo Elnensi salutem etc. Viri sacre lectionis studio dediti et in lege domini eruditi apostolici favoris graciam promerentur, eoque liberalius decet eorum desideriis annui, quo ex eorum profectibus et maior potest in Dei ecclesia utilitas provenire. Cum itaque, sicut accepimus, dilectus filius Petrus de Arenyns (!), ordinis fratrum predicatorum professor conventus Barchinonensis, diucius in theologie facultate in diversis locis dicti ordinis studuerit ac in civitate Bononiensi librum sentenciarum legerit et adeo, divina sibi suffragante gracia, profecerit, quod meretur suscipere honorem magisterii in eadem, pro parte sua nobis extitit humiliter supplicatum, ut ipsum ad honorem huiusmodi magisterii promoveri de benignitate apostolica mandaremus. Nos autem de ipsius Petri sufficiencia et idoneitate certam noticiam non habentes huiusmodi, necnon carissimi in Christo filii nostri Iohannis regis et carissime in Christo filie nostre Iolandis regine Aragonum illustrium pro ipso Petro dilecto nobis humiliter supplicancium supplicacionibus inclinati, fraternitati tue, de qua plenam in domino fiduciam obtinemus, per apostolica scripta committimus et mandamus, quatinus si per te ac dilecti filii Petri Borroni, procuratoris dicti ordinis et magistri in sacra pagina, vel alterius in eadem facultate magistri, cui prefatus Petrus Borroni alias forsitan impeditus duxit committendum, et aliorum saltim quatuor magistrorum in facultate predicta, de quibus tibi videbitur expedire, diligentem examinacionem prefatus Petrus de Arenyns (!) ad hoc sufficiens et idoneus repertus extiterit, in villa Perpiniani Elnensis diocesis magisterii honorem et docendi licenciam in eadem facultate per te

« Isto anno (scilicet 1390), inquit auctor, recessi de Barchinona in die beate Katerine et ivi Avinionem pro meo magisterio. Et fui examinatus sub domino episcopo Elnensi XVII. decembris. Et inde recessi et fui licentiatus in Perpiniano secunda die ianuarii (1391), et feria quinta sequenti, que fuit quinta januarii, feci meam aulam in ecclesia sancti Iohannis: totum in dicta villa Perpiniani..... Et fui in Barchinona in die sancti Antonii abbatis et confessoris, hoc est XVII. januarii, inchoante anno domini MCCC nonagesimo primo. Item fui factus magister in theologia formatus anno domini MCCC nonagesimo primo inchoante; habebam in aetate XL et unum annum et incipiebam secundum » (1).

---

vel per alium, servatis constitucionibus Viennensis concilii et aliis solemnitatibus in talibus fieri consuetis, auctoritate apostolica licenciam largiaris et ut ipse infra dictum ordinem et extra illum quibuscumque graciis, privilegiis, libertatibus et indulgenciis tam a sede apostolica quam ab eodem ordine fratribus ipsius ordinis in eadem facultate Parisius magistratis concessis perinde uti et gaudere valeant (!), ac si in Parisiensi studio huiusmodi magisterium recepisset, auctoritate predicta concedas; ita tamen, quod ex hoc prefatus ordo ad prestandum aliquid dicto Petro de Arenyns (!) pro suis expensis vel aliis necessariis racione dicti magisterii ultra quam antea minime teneatur; non obstante quod nuper duximus statuendum de non concedendo huiusmodi magisterium nisi Parisius et in aliis locis ac studiis consuetis et quibuscumque privilegiis ac statutis et consuetudinibus ordinis et Parisiensis studii predictorum contrariis, iuramento, confirmacione apostolica vel quacumque firmitate alia roboratis, eciamsi de illis et totis tenoribus eorumdem specialis et expressa ac de verbo ad verbum esset presentibus mencio facienda, que alias volumus in suo robore permanere. Dat. Avinione XI. kl. novembris anno nono. *Reg. Clem. VII, 298 fol. 159 verso.*

---

(1) Cf. infra pag. 60. sqq..

Quibus muneribus ordinis Petrus sit ſunctus, ex sequentibus patefit.

Anno 1383 eligitur prior conventus Ilerdensis; anno 1384 interest capitulo provinciali Ilerdae celebrato ut diffinitor; in eodem capitulo fit praedicator generalis; post dictum capitulum petit et obtinet absolutionem ab officio prioratus conventus memorati.

Tempus annis 1384 ad 1392 interiectum Petrus tum Bononiae, fungens ibidem officio sententiarum magistri (1), tum Barchinonae transigit. Anno vero 1393 diffinitores capituli provincialis Cervariae celebrati Petro officium visitationis conventuum in regno Valentino existentium iniungunt. Quo officio peracto ad capitulum provinciale Oscae celebrandum pergit, ibi rationem redditurus de sua visitatione (1394). Idemque capitulum Petrum lectorem studii Barchinonensis instituit iterumque eum praedicatorem generalem nominat (2). Gaudens iure generalis praedicatoris interest capitulo provinciali anno 1395 Castellione celebrato.

Anno 1397 diffinitores capituli provincialis Tarraconae celebrati Petro iterum officium visitationis conventuum Minorissensis, Urgellensis, Cervariensis, Balaguerensis, Ilerdensis imponunt.

Anno 1398 fit commissarius inquisitionis; pro quo munere exequendo petit eodem anno Caesaraugustam.

---

(1) Cf. supra pag. IX.

(2) Iam antea anno scilicet 1384 Petrus honore praedicatoris generalis insignitus est; qui honor utpote ei tempore schismatis collatus, extincto schismate in provincia anno 1386, videtur non esse admissus a sequacibus partium Clementistarum; unde supradicto anno 1394 « iterum » fit praedicator generalis.

Anno 1400 a magistro ordinis generali (de obedientia Avenionensi) Ioanne de Podionucis Petrus instituitur prior sororum praedicatricum Barchinonensium. Quo officio fungitur ad 1405 sept. XXVII; quo die sororibus capitulariter congregatis legit litteras suae absolutionis, obtentas a praedicto ordinis magistro generali.

Medio tempore interest capitulo provinciali Xativae celebrato, anno scilicet 1402.

Anno vero 1406 in capitulo provinciali Oscae celebrato comparet ratione officii visitatoris conventuum in regno Valentino existentium; cuius capituli diffinitores Petrum eligunt in socium prioris provincialis euntis ad capitulum generale Pictavis anno 1407 celebrandum. Paulo ante vel forte in ipso capitulo Pictaviensi, antequam nempe diffinitiones inciperent, nominatur provincialis provinciae Terrae sanctae et, ut talis, vocem habuit in ipso capitulo. Quo titulo provincialis nonnisi a festo pentecostes 1407 ad XXI. diem octobris eiusdem anni gaudet; nam sequenti iam die « unanimiter et concorditer » eligitur prior conventus Barchinonensis; pro quo officio die prima novembris litteras confirmationis recepit a fr. Petro de Fonteluporum, tunc provinciali provinciae Aragoniae.

Intervallo unius anni vix elapso a prioratu Barchinonensis conventus absolvitur per capitulum provinciale Sanguesse celebratum (1408, festo nativitatis beatae Virginis); simulque constituitur conventus eiusdem vicarius ad electionem et confirmationem successoris. Die denique XXI. novembris, quo fr. Pa-

schasius « regere cepit conventum » regimine praefati conventus se abdicat.

Anno 1409 « ego fui factus, inquit Petrus, lector Maiorice per capitulum provinciale (Cervariae celebratum); et non fui, sed remansi in Barchinona frater simplex ».

Anno 1410 capitulo provinciali celebrato in conventu Alcanisensi de la Frontera interest ut diffinitor pro natione Cataloniae (1); a quo capitulo, ad quod comitatur ut socius priorem conventus Barchinonensis, tertia vice constituitur visitator conventuum regni Valentini.

Anno 1413 die XIV. februarii in conventu Tarraconensi « congregatio priorum conventuum provinciae et duorum electorum de quolibet conventu » celebratur pro electione prioris provincialis. Cui congregationi Petrus interest ut unus ex duobus electoribus missis a conventu Barchinonensi. Eodemque denique anno et anno sequenti qua praedicator generalis capitulis provincialibus celebratis in conventu sancti Matthaei et Calatajubii adsistit.

Hucusque Petro ipso auctore usi sumus. Cum vero auctor nonnisi ad annum 1415 chronicon suum produxerit (2), nobis aliis ex fontibus reliquam eius vitae partem perlustrare opus fuit. Quos perquirentes in actis capituli provincialis Minorissae celebrati an-

---

(1) Tunc temporis provincia Aragoniae dividebatur in tres nationes: Aragoniae, Cataloniae, Navarrae; quarum quaelibet componebatur conventibus sitis in eisdem terris politice, ut dicunt, consideratis.

(2) Minus recte Torres Amat in *Diccionario critico de los escritores Catalanes* Barcelona 1836 p. 47 asserit: « Acaba (scilicet chronicon) en el año 1443 ».

no 1418 reperimus, auctorem nostrum eodem anno vicarium conventus Barchinonensis esse institutum, donec prior electus esset et confirmatus et praesens existeret in eodem (1).

Supremum denique diem obiit Petrus de Arenys vel exeunte anno 1419 vel anno 1420 (2). In actis enim capituli provincialis in conventu Castellionis celebrati anno 1420 legimus: « Ista sunt nomina omnium fratrum hoc anno (3) in ista provincia defunctorum: in conventu Barchinonae fr. Petrus de Arenys, magister et praedicator generalis » (4).

Narrata iam auctoris vita restat, ut de chronico ipso disseramus. Quod munus suscipienti mihi propositum non est, ut minutatim meis verbis relata ab auctore ipso iterum proponam, ne scilicet fastidium ingeram lectoribus. Legenti hoc chronicon vel obiter patebit, quanti valoris sit non solum pro historia provinciae ordinis Aragoniae ordinisque universi, verum etiam pro historia tam profana quam ecclesiastica illius aevi. Id unum dilucidare velim, quod hucusque scriptores omnes de tempore schismatis tractantes effugit. Exorto nimirum anno 1378 in ecclesia schismate, orbis universus in duas partes divisus

---

(1) Bibliotheca universitatis Caesaraugustanae cod. sign. 97 ad hunc annum « ponimus vicarios in conventibus, donec priores electi fuerint et confirmati et presentes extiterint in eisdem »...... in conventu Barchinonensi fr. Petrum Darenys (!) magistrum.

(2) Ex supradictis corrigas, quae de Petro minus recte scribit Torres Amat l. c. « fué muchas veces prior de este (scilicet Barchinonensis) convento » et « vivió el autor cerca de cien años ».

(3) Annum intelligas non calendarii, sed a tempore celebrationis capituli provincialis ad capitulum provinciale subsequentis anni.

(4) In codice Caesaraugustano citato ad annum 1420.

est; quarum una secuta est pontifices Avenione residentes, unde et breviter obedientia Avenionensis nuncupatur; altera fidem servavit Urbano papae VI. eiusque successoribus, unde et obedientia Urbanistarum audit. Ordinis praedicatorum provinciae et conventus partes sequebantur eorum, in quorum terra inveniebantur, tunc iam temporis illud famosum « cuius regio, eius religio » comprobantes; ne credideris proinde aliquam ordinis nostri provinciam aut conventum, – idemque de aliis ordinibus affirmaverim – ex propria persuasione partes huius vel illius pontificis fuisse secutos.

Ut sermo redeat ad Petri chronicon, initio schismatis Aragonum rex Petrus IV, ut tradit auctor, « fuit et erat indifferens in facto ecclesiae » (1), id est, nondum se patefecit, cuius pontificis partes sequeretur (2).

Consequenter et fratres provinciae Aragoniae haesitare ceperunt; quorum una pars, Aragonenses scilicet et Navarri, partes Roberti Gebennensis (Clementis VII.) sequi voluerunt, Cataloniae vero nationis fratres Bartholomaeum Prignanum (Urbanum VI.). Unde divisio provinciae. « Et istud fuit ultimum capitulum unitum in provincia », ait auctor de capitulo provinciali Xativae celebrato anno 1379. Provincialis Aragoniae tunc temporis fuit magister Bernardus Ermengaudi.

Anno 1380 Lausanae celebratum est capitulum

---

(1) Cf. infra pag. 57.

(2) Cf. VALOIS *Histoire du grand schisme d'Occident* Paris 1896, I, 212 sqq.

generale eorum, qui sequebantur partes Clementis VII.; quo in capitulo Bernardus Ermengaudi, eo quod Urbanistarum partes amplectebatur, absolutus est a provincialatu provinciae Aragoniae (1). Qua absolutione non obstante Bernardus officio provincialatus in natione Cataloniae fungi capitulaque provincialia cum sibi adhaerentibus conventibus celebrare non destitit ad annum 1387, quo anno mense ianuarii exeunte diem obiit supremum. Capitula proinde provincialia celebrata 1380 Barchinonae, 1381 Ilerdae, 1382 Valentiae, 1383 et 1384 Ilerdae, 1385 Tarraconae, 1386 in conventu S. Matthaei, quorum auctor, utpote easdem partes ac Bernardus Ermengaudi sequens, mentionem facit, capitula Urbanistarum sunt recensenda. Rem, quam agimus, quam optime illustrant excerpta quaedam ex actis capitulorum provincialium Clementistarum desumpta. In actis capituli provincialis Caesaraugustae celebrati anno 1380 inter denuntiationes legimus:

« Denunciamus fratribus huius provinciae universis, quod cum nos vicarius huius provinciae Aragoniae Generalis et difinitores huius capituli provincialis Cesaraguste celebrati habuimus grandes querelas a nonnullis, et quia alias ad aures pervenerit, quod vice et auctoritate fratris Bernardi Ermengaudi magistri a provincialatu tunc et nunc absoluti in conventu fratrum praedicatorum Tarrachonensi frater Anthonius Laver se ingessit pro priore dicti conventus et frater Petrus de Arenys pro vicario eiusdem conventus et frater

---

(1) Cf. MOPH. VIII pag. 1 et infra pag. 57.

Dominicus Martini temptaverit ferre sententiam excommunicationis contra fr. Petrum Molinerii vicarium (?) eius priorem et sepe dicti conventus et contra aliquos fratres prefati conventus, ut obedire dicto fratri Anthonio Laver pro sepe dicti conventus priore intruso et quod in conventu Minorissensi fratres Petrus de Fonte tunc prior Minorissensis et Iohannes Rausselli litteras reverendi Patris dicti vicarii huius provinciae generalis a nuncio eiusdem vel alter eorum in vi rapuerint et nec eidem nuncio reddiderint: hinc est quod citamus dictos fratres Anthonium Laver, Petrum de Arenys, Dominicum Martini, Petrum de Fonte et Iohannem Rauselli primo, secundo et tertio peremptorie, quod compareant in sequenti capitulo provinciali coram diffinitoribus dicti sequentis capituli provincialis uno pro trino edicto ad respondendum de predictis, denunciantes eisdem, quod si non comparuerint contumacia eorum exhigente procedetur contra eos, prout iuris fuerit et rationis » (1).

In actis vero capituli provincialis apud Stellam anno 1381 sequentia leguntur:

« Denunciamus fratribus universis huius provinciae, quod quicumque frater gradum receperit a fratre Bernardo Ermengaudi citra festum pentecosten proxime preteritum, est excommunicatus et etiam omnes, qui sunt participes cum eo, ut ipse officium provincialatus, quod usurpat indebite, exequatur cum hos sit (2) in crimine, pro quo ipse frater Bernardus predictus est excom-

---

(1) E codice Caesaraugustano supra citato pag. 478.

(2) Post « sit » deest aliquid in codice.

municatus cum sibi adhaerentibus et obedientibus per processum reverendi patris Magistri ordinis qui fuit eidem fr. Bernardo Seraguste per vicarium provincialem cum instrumento publico presentatus et in conventibus Castilionis, Gerundae, Barchinonae non publicatus. Idem dicimus de illis qui praelatis intrusis et rebellibus R. P. fratri Heliae magistro ordinis in suis usurpatis praelaturis dant consilium, auxilium et favorem sicut fratri Ioanni Magoti antipriori Minorisensi, Guillermo de Solano antipriori Ilerdensi, Antonio Laver antipriori Tarrachonensi, Michaeli Periconi antipriori Valentino et Guillermo Remirii antipriori Xativensi et eorum vicariis et aliis similibus, si qui erunt vel sunt etiam in presenti: qui omnes predicti antiprelati sunt excommunicati per acta capituli generalis » (1).

Magistro Bernardo Ermengaudi, provinciali Urbanistarum mortuo, ut dixi, exeunte mense ianuarii 1387, natio Cataloniae unitur nationibus Aragoniae et Navarrae; quo facto tota provincia Aragoniae deinceps partes Clementistarum sequitur. Primum capitulum provinciae unitae celebratur Barchinonae anno 1387, cuius in actis praecipitur, ut « antiacta anticapitulorum » fratris Bernardi Ermengaudi infra octo dies comburantur (β).

---

(β) Item praecipimus in virtute sanctae obedientiae et sub poena sententiae excommunicationis, quam reverendus pater vicarius tulit iuridice in diffinitorio de nostrorum consilio et assensu, quod quicumque

---

(1) L. c. p. 488.

Quibus ex praemissis facile intelligas, qua ratione Petrus de Arenys anno 1385 Bononiam, ad urbem sc. Urbanistarum, missus sit ad legendum ibidem in collegio s. Pauli sententias, et quare anno 1394 *iterum* titulo et honore praedicatoris generalis insignitus sit. Eo enim tunc temporis fratres utriusque obedientiae pervenerant, ut se invicem excommunicarent, anathematizarent non agnoscentes titulos promotionum quarumcumque a fratribus alterius obedientiae obtentarum. Immo, quod peius est, in multis provinciis conventibusque, dominis regionariis de hac vel illa obedientia sequenda discrepantibus, duo provinciales duoque priores ex adverso steterunt (1). Quod et accidit in conventu Barchinonensi (2).

Exemplar codicis manuscripti, quo utimur pro nostra editione, extat Barchinonae in bibliotheca universitatis; signatus erat antea 8, 2, 45, nunc 15, 2, 23. Apographon est saeculi XVIII in charta scriptum. Codicis exemplar primum, quod ante suppressum eversumque conventum Barchinonensem in bibliotheca con-

---

fratres tenent antiacta anticapitulorum provincialium fratris Bernardi Ermengaudi magistri in sacra pagina antiprovincialis a tempore capituli generalis ultimo Lausannae celebrati et citra, tradant in communi et coram fratribus maioribus conventuum infra octo dies a notitia praesentium et ibi ad minus sint sex fratres, et praesidens statim comburat ipsa coram ipsis fratribus; quicumque oppositum attemptaverit, dictam sententiam excommunicationis se noverit incurrisse. *E codice Caesaraugustano supracitato p. 593.*

---

(1) Cf. MOPH. l. c. pag. 23 sqq.
(2) Cf. infra pag. 57 ad annum 1380.

ventus asservabatur (1), ut tradit TORRES AMAT (2), hodie periisse temporum iniuria videtur.

Quae porro in ipso chronico, prout in hoc codice extat, male ordinata leguntur, ea sine dubio librarii incuriae vel ignorantiae attribuenda sunt ut v. gr. transpositio ordinis chronologici rerum gestarum, modus scribendi *santi* pro *sancti, Miguel* loco *Michael,* iuxta linguam vulgarem, et alia huiusmodi.

Auctori ipsi primo propositum fuisse videtur conscribere tantum res ad historiam conventus Barchinonensis et provinciae Aragoniae pertinentes. Quibus tamen postea adiunxit plura ad schisma ecclesiae, reges Aragoniae, civitatem Barchinonae spectantia. Quae quidem - ni fallor - in margine addidit; unde factum est, ut librarius codicis a nobis usurpati multa ordine perverso disposuerit; quae tamen suis locis addito anno in uncinis [ ] ad verum annum reducere studuimus.

Chronicon ipsius Petri ad annum 1415 se extendit; quae sequuntur de annis 1430 et 1453 alium vel alios auctores habere manifestum est. Quae cum TORRES AMAT praeteriissent, causa erant auctori laudato affirmandi, Petrum « cerca de cien años » natum diem obiisse supremum (3).

De vitae curriculo fr. Ioannis de Mena, quod infra pag. 93 sq. publici iuris facimus, quodque in codice

---

(1) Sub hoc titulo: Chronicon fratris Petri de Arenys ordinis praedicatorum ab anno MCCCXLIX ad MCCCCXXX complectens acta suo tempore maxime in provincia Aragoniae et coenobio Barcinonensi. — Ex tabulario eiusdem coenobii plùteo LL.

(2) Cf. loco supra citato pag. XIII nota 2.

(3) Cf. supra pag. XIV nota 2.

memorato sequitur chronicon Petri de Arenys, non est quin fusius disseramus.

Oblata mihi opportunitate libens utor, ut gratissimo animo prosequar nomina clarissimorum virorum, qui in me, tabularia bibliothecasque Hispaniae pervestigantem anno elapso, tam officiosi liberalesque fuerunt: Ill$^{mi}$ et R$^{mi}$ D. D. archiepiscopi Tarraconensis D. D. Thomae Costa y Fornaguera (1); Ill$^{mi}$ et R$^{mi}$ D.D. Iosephi Morgades y Gili episcopi Barchinonen.; Ill$^{mi}$ et R$^{mi}$ D. D. Iosephi Torras y Bages Vicen. episcopi; R$^{mi}$ D. D. Ramon Font vicarii generalis dioecesis Gerundensis necnon vicarii generalis dioecesis Vicensis D. D. Iacobi Serra; R$^{morum}$ dominorum canonicorum Segoviensium; clarissimorum virorum bibliothecariorum Aguilló y Fuster et Francisci Bravo Barchinonensium; Francisci Marzo Lopez Caesaraugustani, eiusque ammanuensis Mariani Garcia Repullés, Ioannis de Ramon y Lopez Bago Oscensis, Ioachim Casan̄ Valentinensis eiusque urbanissimorum subbibliothecariorum Hieronymi Forteza et Vincentii Ferraz; Iosephi M$^{ae}$ Valdenebro Hispalensis; illustrissimi professoris Valentinensis Vincentii Gadea y Orozco; Firminii Villarroya, professoris et archivistae de la Hacienda, ut aiunt, Valentinensis, et praesertim D. D. Serrano y Morales, diligentissimi antiquitatis patriae Valentinensis investigatoris, et D. D.

---

(1) Laudati Illm̃i et Rm̃i D. D. archiepiscopi exquisitae urbanitati contrario nomine opponitur factum praefecti bibliothecae capituli ecclesiae cathedralis Tarraconensis, qui dictam bibliothecam inspicere ne obiter quidem mihi permisit. Quod et accidit abhinc sex vel septem annos cl. Rudolpho Beer; cf. cl. viri opus *Handschriftenschätze Spaniens.* Wien 1894 pag. 467.

de Boffarull y Sans, viri summo officio praediti, archivistae « de la Corona de Aragon » Barchinonensis.

Grates etiam debeo cl. P. Eubel Ord. Min. Conv., qui mihi plagulas typis descriptas sui operis *Die Avignonesische Obedienz der Mendikanten-Orden* pro chronico Petri de Arenys edendo perutiles consulendas tradidit, Fr. Iusto Cuervo et Fr. Alberto Blat Ord. Praed., ceterisque sodalibus Hispanis, qui me apud ipsos hospitantem officiis fraternis tam suaviter sunt prosecuti. Quibus omnibus gratias habeo et habebo quam maximas.

Dabam Romae die festo s. Eulaliae 1900.

**Fr. BENEDICTUS MARIA REICHERT**
**Ord. Praed.**

# CHRONICA ORDINIS

# CRONICA ORDINIS

ANNO DOMINI M°· CC°· III°· Beatus Dominicus cum Oxomensi Episcopo Didaco Tholosam venit ⹎ ubi ipsa die cooperante Deo hospitem suum hereticum ad veram fidem reduxit. Deinde peracta legatione Regis semel et iterum. et Curia visitata ab ipso Episcopo ⹎ remansit cum eodem quasi per biennium in predicationis officio in partibus tholosanis.

ANNO DOMINI M°· CC°· V°· Post reditum Didaci Episcopi ad suam dioc. ζ beatus Dominicus remanens quasi solus paucis sibi adherentibus. sine professionis tamen vinculo ⹎ per decem annos per diversa loca provincie Narbonen. et precipue circa Carcassonam et Phanum Iovis ζ impugnando hereticos. catholicam fidem extulit ⹎ et animarum saluti datus. totus officio predicationis vacavit. multas vilitates et abiectiones et angustias lete sustinens. propter nomen domini Ihesu Christi. Illis etiam temporibus domum sororum de P[r]uliano instituit ante ordinis confirmationem.

Illo quoque in tempore Comes Montisfortis pugnans contra hereticos gladio materiali et beatus Dominicus gladio verbi Dei. in partibus illis. facti [sunt] adeo familiares. quod voluit Comes quod ipse beatus Dominicus benedictionem faceret in nupciis uxoris filii sui quam accepit filio ⹎ et delphini viennen. apud Carcassonam. et filiam quamdam suam baptizaret ζ que usque

22) *Locus corruptus, ex aliis codicibus sic emendandus:* « ... voluit Comes quod ipse beatus Dominicus benedictionem faceret in nuptiis uxoris filii sui. quam accepit: filie scilicet Delphini viennensis. apud Carcassonam ... »

hodie vivens. et priorissa apud sanctum Antonium Parisius: religiosissima et magne sanctitatis habetur. Dedit etiam quoddam castrum beato Dominico : in sustentationem sui et sibi adherentium in predicatione. Unde usque hodie genus illud dilectionem et familiaritatem habet ad ordinem. in tantum ζ quod quedam filia Comitis predicti scilicet dña Amicia de Ioviniaco magni nominis et sancta mulier : voluit multociens quod filius suus unigenitus et excellentis gratie intraret ordinem. si fratres voluissent. Et in extremis agonis ipse apud Ciprum in exercitu Regis Francorum. habitum nostrum suscepit: et factus est frater. Ipsa quoque sicut dixit quia homo (1) non erat nec esse frater poterat ζ ut saltem soror fieret. fecit domum sororum de Monte argis. et bene dotavit. in qua taxatus est numerus $l^{ta}$. sororum. que speciali prerogativa sanctitatis et religionis fulgent in Francia : inter quas et ipsa sepulta requiescit. Fuit autem tanti fervoris et animi in domus predicte promotione ζ quod cum fratribus multis se opponentibus licenciam construendi illam habere non posset aliquomodo ab ordine : in propria persona multociens ivit ad Curiam pape. et obtinuit litteras efficacissimas ad suum desiderium consummandum.

Porro instante tempore quo prelati se parabant ad eundum ad concilium Lateranense ζ quidam de Tholosa. P. Sciliani nomine. se et domos nobiles. quas habebat iuxta castrum in eadem Civitate. obtulit beato Dominico : in quibus primo apud Tholosam ipse cum sibi adherentibus habitavit. et ibi moribus religiosorum se conformare ceperunt. Episcopus vero Tholosan. vir sanctus et fidei zelator Fulco nomine ζ sextam partem decimarum cum consensu Capituli dedit ad libros et necessaria : sperans se habiturum eos fideles pugiles. ad heresim expugnandam.

---

9) *Ceteri codd.:* in extremis agens ipse. — 23) *Al.* quidam magnus de Tholosa.

---

(1) « Homo », scilicet « Vir ». Auctor, vulgari suae gentis idiomati assuetus, utriusque vocis notionem confundit.

Anno domini ·m°·cc°·xv°· Beatus Dominicus Romam ivit ad concilium generale cum Episcopo Tholosano Fulcone. causa procurandi ordinis. qui diceretur et esset ordo fratrum predicatorum ⁏ et tunc accepit responsum de redeundo ad fratres et regulam eligendo.

Anno domini ·m°·cc°·xvi°· Redeunte beato Dominico Romam. Innocentio mortuo et Honorio substituto ⁏ concessus est ordo et confirmatus.

Eodem anno data est fratribus ecclesia prima quam habuit ordo. scilicet sancti Romani infra Tholosam ζ in qua fecerunt claustrum et cellas ⁏ et erant numero circiter xvi.

Anno domini ·m°·cc°·xvii°· Disponentibus Tholosanis insurgere contra Comitem Montisfortis ζ dispersit beatus Dominicus fratres. electo primo in Abbatem fratre Matheo ⁏ alios mittens in Ispaniam. alios Parisius. Et ipse Romam ivit ⁏ et illo tempore domum sancti Sixti sororum instituit.

Anno domini ·m°·cc°·xviii°· Circa principium anni misit beatus Dominicus fratres de urbe Bononiam ⁏ et eodem anno in Curia fratris Reginaldi noticiam acquisivit. qui eodem anno venit Bononiam ·xii°· kal. Ianuar.

Eodem quoque anno beatus Dominicus in Ispaniam rediens. duas ibidem domos instituit ζ et eodem anno data est fratribus Parisius domus sancti Iacobi ⁏ nam ante stabant in domo conducta. intra domum Episcopi et domum Dei.

Anno domini ·m°·cc°·xix°· De Ispania venit beatus Dominicus Parisius ⁏ et invenit ibi de fratribus ferme ·xxx· Paululum ibidem commoratus divertit Bononiam. ubi iam magnus erat fratrum numerus sub fratre Reginaldo congregatus apud sanctum Nicolaum ζ nam ante fuerant in alio loco a principio ⁏ qui eum cum mirabili gaudio receperunt. Et ideo misit fratrem Reginaldum Parisius.

Anno domini ·m°·cc°·xx°· Primum generale capitulum celebratum est Bononie sub beato Dominico ζ cui interfuit et frater Iordanis missus ad istud de Parisius ⁏ ubi intraverat paulo ante ordinem in quadragesima precedenti.

In hoc autem Capitulo. inter multa que statuta fuerunt. fuit et hoc statutum quod amodo possessiones et redditus non reciperentur : et quod resignarent que habebant in partibus tholosanis ζ et quod Capitulum generale uno anno Parisius. alio anno Bononie celebraretur : quod longo tempore observatum fuit. sed postmodum aliter est statutum.

· M^o^· CC^o^· XXI^o^· Celebratum est secundum capitulum Bononie sub eodem patre. Et de illo Capitulo missi sunt fratres in Angliam : et fratri Iordani. qui presens non erat. iniunctum est officium prioratus provincie Lombardie. Ad quod officium exequendum cum iret de Parisius : frater Conradus Archidiaconus quondam Lingonensis vir magne auctoritatis. qui suo exemplo ad ingressum ordinis multos commoverat Parisius. vadens cum eo desiderio videndi beatum Dominicum ζ et ipsius fratris Iordanis amore illectus : mortuus est apud Lausanam. ubi aliquando in Episcopum electus fuerat.

Interim autem eodem anno mortuus est beatus Dominicus ·viii· Idus Augusti : et intra ecclesiam fratrum honorifice sepultus.

Et frater Iordanis ceptum iter perficiens. Bononiam supervenit ζ et invenit ibi quemdam fratrem Bernardum nomine obsessum a demone : de quo miranda narrat idem in libello quem composuit de initio ordinis qui sic incipit. Filiis gracie et coheredibus glorie. In quo multa continentur ex quibus habita est materia supradictorum : et etiam de legenda beati Dominici.

· M^o^· CC^o^· XXII^o^· Celebratum est tercium capitulum generale Parisius ζ in quo electus est frater Iordanis in Magistrum : licet nondum complesset in ordine duos annos et dimidium. Hic fuit theotonicus de Saxonia : villa que dicitur Borcherge in diocesi Maguntin. oriundus. Hic cum esset scolaris Parisius ζ et probus in theologia : cogitaverat in corde suo de huiusmodi vita fratrum. quorum non habebat noticiam. assumenda. Ve-

8) *Al. add.:* Dominico. — 11) *Al.* Everardus.

niente ergo fratre Reginaldo Parisius et predicante ferventerˀ vovit apud se. se ordinem intraturum. Habebat autem apud se fratrem Henricum. qui fuit primus Prior Coloniensis. iuvenem utique angelicum. graciosissimum in omnibus ⁊ qui postea predicatione sua totam universitatem Parisiensem multum commovitˀ de cuius laudibus mira scripsit in libello quem composuit supradicto. Hunc autem laboravit se[cum] ad ordinem trahere. Et emisso prius voto de ingrediendo ordinem in manibus supradicti fratris Reginaldi ab utroqueˀ intraverunt ambo in die cinerum. et receperunt habitum dum fratres cantarent Immutemur habitu. etc.

In diebus eius ordo fuit valde dilatatus in provinciis. in Conventibus. in numero fratrumˀ et multi viri et excellentes in nobilitate. et divitiis et scientiis. intraverunt. Sub eo etiam fuerunt licenciati prius fratres Parisius ad legendumˀ et habuerunt duas scolas. Intravit etiam frater Iohannes de sancto Egidio Anglicus nationeˀ facto sermone prius (1). Fuerunt autem inter huiusmodi fratres ab illo tempore multi valde excellentis gracie et doctrineˀ sicut eorum scripta memoria usque hodie manifeste declarat.

Ipse etiam est qui induxit consuetudinem de faciendis

---

16) *Al. add.:* magister in theologia.—19) *Al.:* sicut scripta eorum et memoria usque hodie manifeste declarant.

---

(1) Haec de Ioanne a Sancto Aegidio narrat F. Nicolaus Trivetus in *Chronico regum Angliae (Spicileg. Dacher. T. viii. pag. 573):* « Circa ea tempora multi viri scientia et sanctitate illustres, abiectis saecularium divitiarum copiis, Christum pauperem imitari conantes, ad Praedicatorum et Minorum ordines confluxerunt, inter quos erant Ioannes de Sancto Aegidio et Alexander de Hales, doctores in sacra Theologia ambo, et Anglici natione: quorum Ioannes in domo Fratrum Praedicatorum sermonem faciens ad clerum, cum suasisset paupertatem voluntariam, ut verba sua exemplo confirmaret, descendens de ambone habitum Fratrum recepit, et in eodem regressus ad clerum sermonem explevit. Occasione eius habuerunt Fratres duas scholas intra septa sua, resumente eo lectiones suas post ordinis ingressum ad importunam instantiam auditorum. Suavissimus quippe moralizator erat, ut satis considerare poterit qui libros eius inspexerit manu propria emendatos. Fuit nihilominus in arte medicinae expertissimus, utpote qui tam Parisius quam in Montepessulano rexerat in eadem, de cuius curis et pronosticationibus referuntur plurima admiranda ».

collationibus Parisius scolaribus : et sub eo etiam inducta est consuetudo de cantando Salve regina post completorium.

Sub eo etiam celebrata sunt duo capitula generalissima Parisius : in quorum ultimo factum est statutum de silentio mense.

Eius etiam tempore ·iiii$^{or}$· minores provincie coequate sunt aliis ·viii$^{o}$· in potestate. quoad diffinitionem et electionem magistri : que antea non habebant. Ipse etiam induxit consuetudinem quam habent magistri ordinis : de mittendo litteras de Capitulo generali.

Scribebat enim sepe fratribus quos videre non poterat litteras dulcissimas sancte consolacionis. et exhortationis epistolas : et modo omnibus. modo aliquibus provinciis. Conventibus. vel fratribus sic scribebat.

Sub eo etiam anno ·m$^{o}$· cc$^{o}$· xxxiii$^{o}$· translatum est corpus beati Dominici ad locum honorabiliorem : et eodem anno est sanctorum cathalogo aggregatus per papam Gregorium ix. In quo tempore tanta gracia predicationis et mirabilium per fratres effusa est in Lombardia. et alibi per fratres inde venientes : quod totus mundus fere stupebat ex auditu.

Fuit autem Magister iste multum notus et dilectus a dño papa Gregorio predicto. et ab aliis curialibus ζ et graciosus apud magnates et religiosos. et clerum et populum. et universitates scolarium ubique : adeo quod vix poterant satiari de verbis gracie. que procedebant de ore eius. sive in sermonibus. sive in sanctis collationibus quas habebat. Unde quando erat Parisius : incumbebat ei omnes sermones fratrum facere. Et quando predicabat alius. et sciebant eum scolares esse presentem : vix volebant in fine recedere. priusquam ipse aliquid diceret post alios.

Fuit autem summum studium eius ordinem dilatare propter fructum animarum. Propter quod totum se dabat ad attrahendas personas bonas ad ordinem ζ et ideo morabatur

17) *Al. add.:* apud Perusium.; *al.:* apud Reate. — 19) *Al.* et alibi. ut patet per fratres inde venientes. — 33) *Al.* personas litteratas ad ordinem.

quasi semper in locis. in quibus erant scolares. et precipue Parisius? nisi quando eum ire ad Curiam oportebat. Erat autem illi consuetudo quando erat Parisius? quasi omni die quando non fuerat sermo. facere collationem noviciis. Ad quam etiam alii maiores libenter convenientes? magnam consolationem et instructionem recipiebant in eis.

Hic cum transisset mare ad visitandam Terram [sanctam] et fratres ζ in regressu cum festinaret in galea versus Neapolim ad predicandum ibi scolaribus? irruente tempestate defunctus est versus gurgitem Satalie. anno domini ·m°· cc°· xxxvi°· idibus februarii (1)? Fratres vero Acconenses illuc pergentes corpus eius beatum retulerunt in Achon? et in ecclesia sua honorifice sepelierunt. Plura vero de eo scripta sunt in libri huius tertia parte (2)? nec tamen sufficienter. quia laus eius et gratia a quocunque scriptore non posset facile comprehendi.

M°· CC°· XXXVIII°· Electus [est] Bononie in Magistrum frater Raymundus? de provincia Ispanie. Cathalanus natione. de diocesi Barchinonensi. Castro Villa que dicitur Pennafortis. Hic fuit excellens doctor in iure canonico? in quo rexit Bononie. Hic ordinem ingressus. assumptus est in socium a dño Iohanne de Albavilla Cardinali. legato Ispanie? et deinde dicti Cardinalis consilio vocatus ad Curiam ζ factus familiarissimus et Consiliarius secretus dño Gregorio pape ·ix°· et Capellanus et Penitentiarius eius? et expeditor petitionum pauperum. Et de eius mandato compilavit decretales in volumen unum. quod hodie est in usu? cum ante [essent] per ·iiii^or· volumina distracte. Habuit autem se ita sancte et prudenter in Curia? per omnia servans humilitatem ordinis. et omnimodam honestatem ζ quod vix fuit unquam in Curia. vel de Curialibus vel de euntibus ab illa Curia. qui de ipso bona non

21) *Al.:* Iohanne de Abbatisvilla. — 30) *Al.* vel de euntibus et redeuntibus ab illa Curia.

(1) In Archetypo *Ecclesiastici officii secundum ordinem fratrum praedicatorum* notatur Iordani obitus pridie idus Februarii.

(2) In tertia parte scilicet libri qui dicitur « Vitas fratrum » cuius appendix est hoc Chronicon.

predicaret: et ipsum virum sanctissimum non reputaret. Cum autem papa vellet eum cogere ad recipiendum Archiepiscopatum in terra sua ζ tam constanter sancta quadam rebellione restitit: quod revocavit papa coactionem quam ceperat. videns eius contrariam voluntatem.

Hic obtenta licentia licet cum difficultate. ad propria redeundi a Curia: propter suas debilitates. quas incurrisse reputatur in parte propter labores et vigilias. quas ibidem sustinebat. et vitam asperam quam ducebat.

Tempore autem sue electionis missi sunt ad eum in Conventu Barchinonen. ubi tunc erat. multi priores provinciales ζ inter quos fuit unus dñus Hugo. qui tunc erat Prior in Francia. et alii magni fratres: ut eum inducerent ad officium recipiendum. Quibus. licet cum difficultate. timens de periculo ordinis si se subtraheret. acquievit.

Fuit autem maxime perfectionis vir. paupertatis et humilitatis et totius honestatis zelator maximus: et apponens curam maximam. ut etiam in minimis rigor ordinis servaretur.

Hic est qui compilavit summam de casibus toti ecclesie necessariam: circa consilia salutis animarum.

Per eius etiam inducentiam constitutiones nostre redacte sunt ad formam debitam sub certis distinctionibus et titulis in qua sunt hodie: que sub multa confusione ante habebantur.

Cum autem quasi per duos annos rexisset ordinem ζ sentiens sibi vires ad huiusmodi officium omnino deesse: tantum instetit apud Bononiam in Capitulo generali. apud diffinitores. quod eius cessionem receperunt. Super quo tanta turbatio orta est in ipso Capitulo et per ordinem diffusa ζ quod dedit occasionem postea statuendi quod a diffinitoribus amodo non reciperetur Magistri cessio: nisi ex causis ex quibus posset absolvi.

---

6) *Al.:* obtenta licentia licet cum difficultate a papa recedendi a curia propter. *Libentius legam:* rediit. *aut* recessit. *quam* redeundi *aut* recedendi. — 7) *Al.:* debilitates et infirmitates quas incurrisse.— 12) *Al. add.:* postea factus fuit presbyter cardinalis. — 21) *Al.:* toti ecclesie pernecessariam. — 22) *Al.:* Per eius etiam indulgentiam.; *al.:* Per eius etiam industriam.; *al.:* Per eius etiam diligentiam.

Hic igitur pater in Conventu fratrum de Barchinona eligens commorari⁝ licet infirmus et multum impotens. adhuc vivit in omni sanctitate ʒ religionis speculum. exemplar virtutum. consolatio provincie. zelator fidei propagande inter Sarracenos⁝ magne auctoritatis apud magnates. consiliarius regionis. et omnibus odor vite in vitam.

· Mº· CCº· XLIº· Electus est Parisius in Magistrum frater Iohannes theotonicus natione de Saxonia. diocesis Osnaburgensis. Metropolis Coloniensis⁝ de opido quod dicitur Vildeshusen oriundus. Hic antiquus in ordine valde fuit receptus.

Hic predicator egregius in multis linguis. theotonica. italica. gallica et latina ʒ multum fructum fecit in diversis partibus predicando⁝ propterea fuit ante multorum Cardinalium socius et penitentiarius in Legationibus pape.

Et cum esset Prior provincialis in Hungaria⁝ factus est Episcopus Bosnensis. Sed postmodum per multam instantiam obtinuit a papa Gregorio cessionem. nulla provisione retenta⁝ et ad fratrum humilitatem et consortium est reversus. manens inter illos tanquam unus ex illis.

Factus est autem postmodum Prior provincie in Lombardia⁝ et de illo officio assumptus est in magistrum.

Cum autem ipse presens existens. ad refugiendum officium pontificalem vellet ordinem allegare ʒ porrecta est econtrario littera papalis. in qua mandabat. quod cum esset absolutus a cura pontificalis regiminis et per consequens restitutus sub obedientia ordinis⁝ debebat ordini in recipiendo officia obedire. Per quam litteram compulsus fuit recipere officium Prioratus predicti.

Hic fuit multum notus in Curia pape et etiam dñi Friderici⁝ et in diebus eius ordo multum sublimatus est et roboratus in diversis et magnis privilegiis a Curia concessis.

Sub eo etiam dñus Hugo factus est Cardinalis ʒ et fratres multi per diversa loca assumpti in Episcopos⁝ cum magna displicentia sua. et fratrum qui vere ordinem diligebant. Sub eo etiam celebrari ceperunt capitula generalia per diversas

provincias ⁝ et ipse plures provincias quam alii magistri consueverant visitavit.

Sub eo etiam beatus Petrus factus est martir.

Cum autem esset inclusus cum aliis tempore electionis sue Parisius ⁝ quidam frater obdormiens in orando vidit quod ipse ferebatur per claustrum in curru igneo. Et evigilans dixit cuidam. Talis erit magister. Quod postmodum rei probavit eventus.

Sub regimine istius multum laboratum est in Curia ⁝ quod ordo exoneraretur a cura sororum. Et licet super hoc bone littere impetrate fuissent ⁊ tamen tandem obtinuit quod ille que sub cura ordinis iam erant remanerent in suo statu ⁝ sed de recipiendo de novo alias cessaretur. Eius quoque temporibus cum Curia esset apud Lugdunum. sepulti sunt duo Cardinales apud fratres ⁝ scilicet dñus Oddo Portuensis eius specialis amicus ⁊ et dñus Guillelmus Sabinensis. qui fuit amicissimus ordinis et beati Dominici ab initio ⁝ cum eo familiaritate in Curia pape contracta. Horum primus cum esset sepultus iam apud fratres. et Curia se pararet ut dicebatur ad eundum Ianuam ⁝ secundus qui fuerat amicissimus illius defuncti erat sollicitus. ut sibi videbatur in sompnis. de habendo hospitio apud Ianuam. Et ecce primus apparens ei dicebat. Dñe Guillelme ne sitis sollicitus de hospitio apud Ianuam ⁝ quia hic habebitis hospitium meum. Quod ipse narravit pape et cardinalibus ⁊ et post paucos dies infirmatus est et mortuus ⁝ et sepultus in ecclesia fratrum iuxta eum. Acciderat autem paucis diebus ante ⁊ quod cum super locum sepulchri sui in consecratione ecclesie fratrum. ipse deberet consecrare crucem que ibi erat. et ungendo diceret secundum Ordinarium Consecretur hoc templum ⁝ dicebat Consecretur hoc sepulchrum (1). Et sub illa cruce est sepulchrum suum.

7) *Al.:* dixit fratri cuidam — 29) *Al.:* ungendo dicere deberet.

(1) Verba sunt quibus utuntur Pontifices, dum chrismate « confessionem » seu altaris sepulcrum liniunt, ubi Sanctorum reliquiae condendae fuerint.

Dñus quoque Ranerius ibidem manens elegit sepulturam apud fratres ʒ sed monachi quidam nigri apud quos manens mortuus est. prestiterunt impedimentum ˀ et delatus est apud Cistercium.

Post multos ergo labores et longos diu perpessos in ordine. vir iste beatus vite mundissime et valde innocentis. boni zelator et malicie persecutor. in omni sanctitate migravit ad dominum apud Argentinam ʒ ubi multociens demoratus fuerat. et multa bona fecerat ˀ Anno domini · m°· cc°· lii°· et sepultus est honorifice in ecclesia fratrum.

· M°· CC°· LIIII°· Electus est in Magistrum in Hungaria apud Budam. ubi vivente adhuc Magistro Iohanne fuerat assignatum Capitulum ob devotionem Regis et Regine ˀ frater Humbertus natione Burgundus. de diocesi Viennensi. villa que dicitur Romanis oriundus.

Hic cum adhuc iuvenis missus fuisset Parisius ʒ cum rexisset in artibus ibidem. et post ius canonicum aliquanto tempore audivisset ˀ ingressus est ordinem antequam redisset ad patriam. circa Annum domini ·$m^{um}$· $cc^{um}$· $xxv^{um}$· prius dño Hugone Cardinali. qui Magister suus fuerat. cum eodem in eodem proposito concurrente.

Hic vir Dei cunctis aspicientibus fuit gratiosus ʒ et Romane Curie adeo acceptus et carus ˀ ut eum plures Cardinales in summum pontificem elegerint. eo tempore quo papa Innocentius iiii· in apostolicum (1) est assumptus.

Floruit autem ordo predicatorum sub eo. in innumerosa multitudine excellentium doctorum. ac aliorum prefulgidorum virorum ʒ inter quos tunc precipue in Alamania frater Albertus magnus Svevus natione ex Opido Logingon (*sic*) Augustensis diocesis ˀ Sapientie professor eximius. et provincialis provincie Theutonie. deinde Episcopus Ratisponensis claruit.

Mirabilis etiam devotio et sanctitas. per omnia regna christiane religionis in domibus sororum nostrarum fuit ˀ sicut in

(1) Idest, in Summum Pontificem.

diversis libris ordinis nostri. et epistolis huius venerabilis magistri clarius perpenditur.

Cum autem tot sanctitatis exempla. tot scientiarum et doctrinarum fructus. totque mirabilium operum in fratribus predicatoribus ubique et maxime Parisius relucere viderent seculares magistri et clerici. et quod illis in scientia equari non possent ζ stimulante eos invidia ordinem funditus suffodere cogitaverunt ˀ unde litteras infamatorias plenas mendaciis contra ordinem et fratres miserunt. Post hec librum nepharium. ex spiritu vesano. in destructionem tanti ordinis et periculum animarum christifidelium. compilarunt. Fuit autem hec turbatio tam execranda et amara. et tam durum scandalum contra fratres per universalem ecclesiam in cordibus tam clericorum quam laycorum impressum ζ ut vix ullis rationibus aut auctoritatibus sanctorum flecti possent ˀ donec per dñum papam et Curiam Romanam flecterentur iudiciaria sententia. Et nisi piissimus Rex Francie sanctus Ludovicus et dñus Alfonsus Comes Pictavie frater eius se pro fratribus posuissent ˀ abdicatos fratres rebus et corporibus exterminassent. Ea tempestate sanctus Thomas de Aquino vidit in celo scriptum litteris aureis ˀ Liberavit nos dominus de inimicis nostris et de manu omnium qui oderunt nos.

Cuidam etiam sancto fratri ordinis nostri apparuit dominus dicens. Dic fratribus quod michi serviant ferventer ζ et sustineant pacienter hec omnia nec contendant cum clericis ˀ et ego consolabor eos.

Igitur post multas angustias. instante ipso ordinis magistro Humberto ac patribus. prefatis adversariis super hoc ad pape presentiam iudicialiter evocatis ζ liber quem falso composuerant. eis presentibus tam in Curia quam Parisius damnatus et combustus est ˀ et potiores magistri huius turbationis conscii dignitatibus et beneficiis suis privati fuerunt. donec se revocaturos Parisius et alibi quicquid contra fratres evom[u]issent.

4) *Aliquod verbum post* mirabilium operum *deesse crediderim.*— 16) *Melius forte scriptum fuisset:* plecterentur.

interveniente iuramento per eos de mandato pape prestito. promiserunt. Tunc sanctus Thomas in libro quem ad pontificem scripserat. destruxit omnes errores eorum ? cuius libri inicium est. Ecce inimici tui sonuerunt domine ? et qui te oderunt extulerunt caput. Favente eo tempore prefato Rege Francorum ? ordo predicatorum habere meruit Parisius duas scholas in sacra pagina.

Preterea dñus Alexander papa ordinem exaltavit ζ et eum multis privilegiis insignivit ? et aliquas decretales in favorem ordinis edidit. Statuit insuper ut festa sanctorum Dominici et Petri martiris patrum nostrorum a prelatis ecclesie et eorum subditis solenniter celebrarentur.

Sub hoc magistro ordinis ecclesia fratrum predicatorum Argentin. provincie Theutonie solenniter consecrata est in Capitulo generali m°· cc°· lx°· Anno celebrato ζ que dudum fuerat inchoata extra muros in loco inconvenienti in palude ? sed postmodum translata est ad eminentissimum et optimum locum Civitatis.

Videbatur autem cuidam quod area illa. quam tunc fratres nec in spe nec in re habebant ? esset plena peregrinis. Alteri vero videbatur quod exorta fuissent ibi lilia pulcherrima in tanta multitudine ζ quod totam illam aream replevissent ? et quod illa lilia subito conversa fuissent in fratres predicatores oculos ad celum levantes. et creatorem suum concorditer dulcissimis vocibus collaudantes.

Idem magister postquam diversa utilia in diversis Capitulis statuerat cum patribus ζ in quodam Capitulo generali Parisius. reliquias beati Petri martiris tradidit prefato Regi Francorum ? qui easdem cum tanta devotione et reverentia. presentibus multis Archiepiscopis et Episcopis. principibus et copiosa multitudine populi. recepit. quod vix credi posset. Fuit quoque eo tempore capituli predicti. tantus concursus scolarium ad sermones ζ tanta visitatio prelatorum et principum recommendantium se devote orationibus fratrum ? quod vix explicabile est.

Idem Humbertus scripsit de Capitulo quodam generali Anno domini m°· cc°· lvi°. Parisius celebrato. fratribus per ordinem diffusis? illo anno ccc· xvii· fratres migrasse ad dominum. ex quibus duo a paganis interfecti ʒ duo a Sarracenis in Terra sancta decapitati fuerant? prout in littera clarius patet.

Prefuit autem ordini idem Magister Humbertus annis novem. Tandem post multos labores per eum perpessos. cessit officio Londonis provincie Anglie. in Capitulo generali Anno domini m°· cc°· lxiii°· ? petens humiliter. et obtinens admitti suam cessionem. In quo quidem capitulo ordinatum fuit quod post mortem eius fieret per totum ordinem sicut pro magistro ordinis fieri consuevit ʒ et quod post primum priorem in choro et aliis locis primum locum teneret? et exemptus esset ab oneribus ordinis in quantum ipse duceret acceptandum. Supervivens vero post hec xv annis? tandem obiit plenus bonis operibus et sanctis virtutibus in Conventu Valentiñ.

Anno domini m°· cc°· lxiiii°· Electus est in Magistrum ordinis Parisius in Capitulo generali. frater Iohannes de Vercellis Provincialis Lombardie? vir magne prudentie et experientie in regimine. famosusque in toto orbe terrarum et in optimis omnibus notus. Tempore huius Magistri ordinis ʒ successive prefuerunt ecclesie catholice hii summi pontifices. Urbanus iiii. qui ad instantiam sancti Thome de Aquino et quorumdam servorum Dei festum Corporis Christi instituit? ad cuius mandatum idem sanctus doctor multa gloriosa opera fecit. Item Clemens iiii. maximus amator predicatorum ordinis ʒ qui ante clericatum doctor uxoratus fuit. defuncta uxore Episcopus. deinde Cardinalis. tandem Papa factus est? qui ita virtutibus intentus fuit. quod multas quas tunc sustinebat ecclesia tribulationes creditur extinxisse.

Duas filias virgines quas de sua coniuge habuerat? ordini predicatorum tradidit in quodam cenobio sororum. Ipse in cibis et aliis observantiis se gessit secundum consuetudinem ordinis predicatorum.

Ipse de sancto patre nostro Dominico. quem in magna

devotione habuit ʒ composuit illas duas devotas antiphonas Benedictus redemptor omnium. et Magne pater sancte Dominiceˀ et eas cantari instituit. Tandem plenus sanctitate obiitˀ et Viterbii in eadem ecclesia eorumdem fratrum predicatorum quiescit.

Item Gregorius x. qui sanctum Thomam ad concilium vocaverat. sed in itinere obiit ʒ et Innocentius papa v. de ordine predicatorum dictus Petrus de Tharentasia doctor maximusˀ ac Adrianus v. necnon Iohannes xxi. Hii predicti diversis privilegiis et gratiis ordinem nostrum decorarunt. Post hos Nicolaus iii. factus apostolicus ʒ assumpsit hunc magistrum ordinis Iohannem ad dignitatem patriarchatusˀ propter quod cessavit ab officio. sed nunquam potuit induci ut patriarchatui consentiret. Quod summus pontifex perpendens ʒ eum de hoc ultra non molestans. ipsum in officio Magistratus dimisitˀ et usque ad terminum vite sue Magister ordinis permansit.

Hic fecit transferri corpus beati Dominici patris nostri in archam marmoream pulcherrimam ʒ quam ipse fieri procuravitˀ in qua nunc quiescit. Facta est autem hec secunda translatio Bononie in Capitulo generali Anno domini m°·cc°·lxvii°·

Ipse declaravit in quodam generali Capitulo quod prostrationes et genuflexiones ad quas constitutio obligatˀ intelliguntur solum in choro faciende.

Huius Magistri ordinis temporibus floruerunt et de hoc seculo migraverunt maximi ecclesiarum prelati de ordine predicatorumˀ inter quos sanctus Thomas de Aquino obiit in Campania Anno domini m°·cc°·lxxiiii°· Eodem die transitus sui beatus Albertus magnus in Conventu Coloniensi in mensa discumbens cum Priore et quibusdam aliis fratribusˀ cepit subito lacrimari. Priore vero causam lacrimarum querente respondit. Frater Thomas de Aquino filius meus in Christo. qui fuit lumen ecclesie. ex hac luce migravit. Tunc notatur

28) *Ad marg. manu aequali. idest saeculi xv. scriptum est:* Nota de obitu S. Thome.

hora a fratribus ꝫ et repertum est doctorem sanctum eadem die ex hac luce migrasseˀ cum xxxii annis in ordine predicatorum sanctissime vixisset. Sequenti proximo anno obiit frater Raymundus de Pennafortiˀ compilator decretalium. quondam Magister et Rector ordinis predicatorum tercius. Sequenti anno dñus Innocentius papa v. frater ordinis predicatorum de quo supra. Iterum autem anno proximo sequenti obiit magnus et venerabilis pater Humbertus sancte memorieˀ quondam Rector et Magister ordinis quintus. Eodem anno beatus pater frater Paganus heretice pravitatis Inquisitor. qui pene super totam bibliam scripserat. multis confossus vulneribus. tandem lancea latere perfossus ab infidelibus. martirio coronatus est.

Anno autem domini m°· cc°· lxxx°· ˀ beatus Pontifex Albertus magnus octuagenarius et amplius. in Conventu Coloniensi feliciter migravit. Apparuit autem non diu post. fratri Gotfrido socio suo vigilanti et oranti in ecclesia post matutinasˀ indutus nobilissimis ornamentis. dicens. Humani sensus capaces non existunt glorie mee claritatem velle demonstrare. Donata autem sunt michi vi. milia animarum de purgatorioˀ que ante conspectum Dei patris cum leticia me deducent. Fratri autem Theoderico magistro in theologia tunc Lectori Treverensi apparuit quedam sancta mulier nuper defuncta de suis filiabus spiritualibus dicens ei. Pater in conspectu sancte trinitatis eterna beatitudine gaudeo quietata. Ad quam ille. Et quid est de magistro Alberto? Respondit. Gaudet leticia inenarrabili longe super nos.

Sub illo Magistro ordinis. multe sancte virgines sorores. in diversis regionibus et monasteriisˀ de hoc ameno et florido predicatorum ordinis orto. a domino Ihesu christo sunt assumpte.

Inter quas beata virgo soror Margareta filia Regis Ungarorum. que velut singulare iubar sanctitatis in ordine emicuitˀ transiit in Ungaria.

---

13) *Ad marg. manu pariter aequali:* Nota optime de sancto Alberto Magno.

Anno domini m°· cc°· lxxx°· presente Carolo filio Regis Cecilie (*sic*). et tribus Archiepiscopis multisque Episcopis. prelatis et religiosis. necnon nobilibus ʒ corpus beate Marie Magdalene. quod Carolus ipse perquisierat diligenter. translatum fuit solenniter ad Conventum fratrum predicatorum quem ipse fundaverat: qui fratribus reliquias dicte sancte non mediocriter commendavit (1).

Postquam autem hic vir beatus annis quasi xx. ordini laudabiliter prefuerat: migravit ad dominum in Montepessulan. anno domini m°· cc°· lxxxiii°·

Anno domini m°· cc°· lxxxv°· Electus fuit in Magistrum ordinis Bononie frater Munio: tunc Provincialis Ispanie.

Huius temporibus ordo adeo dilatatus fuit tam in domibus quam personis: quod Magistratus officium eo laboriosius videbatur.

Floruerunt autem eo tempore in ordine. inter ceteros fidei catholice propugnatores clarissimos. frater Latinus de Frangiapanibus nobilis Romanus ʒ decretorum doctor ac magister in theologia. necnon sancte Romane ecclesie Episcopus Cardinalis Ostiensis vulgariter nuncupatus: eximius ac fervidus verbi Dei predicator. excellentis quoque religionis et vite. Item frater Hugo Claromonten. etiam Cardinalis: qui super omnes libros sententiarum scripsit et alia multa opera fecit. Frater etiam Rupertus anglicus ʒ magister in theologia. provincialis Anglie. Archiepiscopus Cantuariensis. deinde Cardinalis Portuensis: qui multa ecclesie utilia compilavit.

Postquam vero hic Magister annis vi. ordini prefuerat ʒ dñus Nicolaus papa iiii. eum per litteras sibi et ordini destinatas ab officio Magistratus absolvens: prefecit ipsum ecclesie Palentin. in Episcopum et pastorem Anno domini m°· cc°· lxxx°·

---

3) *Ad marg. manu aequali:* De reliquiis beatissime Marie Magdalene ordini datis. — 30) *Anni numerus parum nitide scriptus est. Legere etiam potes* m°. cc°. lxxxi°. *Utrocumque tamen modo legeris, numerus anno non quadrat.*

---

(1) Res a scriptore nostro inordinate nimis et permixte narratur.

Cumque ipsi ecclesie aliquandiu prefuisset. vocato eo ad presentiam dñi pape Bonifacii viii. ⁊ ac instantibus quibusdam. presertim duobus Cardinalibus ordinis nostri. propter certas negligentias vel remissiones ab administratione ipsius ecclesie absoluto : tandem diu manens in Curia. in Conventu fratrum. anno domini m°· cc°· xcix°· viam universe carnis ingressus est.

Anno domini m°·cc°·xcii°· Electus est in Magistrum ordinis frater Stephanus gratiosus predicator Bisuntinus. Magister in theologia. Provincialis Francie : in Capitulo generali quod auctoritate dñi pape Nicolai de Colonia Rome translatum fuerat. Hic venerandus magister. ut frater Ptholomeus de Luca in sua cronica de eo scribit ⁊ fuit vir mediocris stature. verbis et moribus maturus. benignus humilis diligens religiosus devotus sanctusque a pluribus erat reputatus : qui maximos labores habuit et multa gloriosa opera fecit.

Hic cum esset lx^ta^· circiter annorum. et ordini annis duobus quasi cum dimidio laudabiliter prefuisset ⁊ postquam visitaverat provinciam.... Theutonie. Lombardiam adiit ⁊ et in Conventu Lucañ propter nimios labores. quos perpessus fuerat. ut creditur. migravit ad Christum. in die beate Cecilie virginis : anno domini m°· cc°· xciiii°· Ideo sequenti penthecoste generale capitulum non extitit celebratum.

Anno domini m°· cc°· xcvi°· Electus est in Magistrum ordinis Argentine. provincie Theutonie. frater Nicolaus de Tervisio magister in theologia. provincialis Lombardie. filius pastoris de ignobili genealogia ortus ⁊ qui quartodecimo etatis sue anno ad ordinem predicatorum venit : xiiii. annis studuit ⁊ xiiii. legit : xiiii. prefuit in prelatione. Hic in Capitulo in quo fuit assumptus ad Magisterium. declaravit cum patribus ⁊ quod Prior Conventualis haberet primam vocem in electione electoris Prioris provincialis : non obstante constitutione illa que dicit. quod in electione predicta supprior recipiat vota fratrum.

Cum autem diversa bona et fructuosa in ordine utiliter

18) *Hic, paucioribus expunctis litteris, habet Codex spatium vacuum.*

peregisset. et in officio Magisterii per duos annos et menses quinque tantum rexisset ζ assumptus est per Bonifacium papam viii. in presbiterum Cardinalem tituli sancte Sabine. anno m°· cc°· xcviii° ˀ et deinde in Episcopum Ostiensem. Defuncto autem Bonifacio. dictus frater Nicolaus in summum pontificem electus extititˀ qui et Benedictus xi. vocatus est.

Assumpsit idem Benedictus papa hos fratres ordinis nostri in Cardinales ζ videlicet fratrem Nicolaum de Prato et fratrem Galtherum anglicum ˀ pluraque privilegia ordini nostro concessit.

Statuit etiam idem papa ζ quod sorores ordinis predicatorum non possint assumi ad Abbatias vel regimen alicuius Monasterii alterius professionisˀ absque sedis apostolice licentia speciali.

Anno igitur domini m°· ccc°· iiii°· in Conventu fratrum Perusino migravit ad Christum ζ et ibidem honorifice in ecclesia fratrum sepultus quiescitˀ per quem divina virtus multa miracula operatur. maxime in demonibus ab obsessis expellendis.

Anno domini m°· ccc°· Electus est in Magistrum ordinis Massilie frater Albertus Ianuensisˀ theologie baccallarius. lector Montispessulan. vir magne religionis.

Hic tantum tribus mensibus ordini prefuit ζ et ideo in officio parum fecitˀ sed dicto anno in vigilia beati Augustini in domino requievit. Hic scripsit lecturam bonam super totam bibliam ˀ fuitque factor operis non sermonis.

Anno domini m°· ccci°· Electus est in Magistrum ordinis Colonie in Theutonia frater Bernardus de Provincia Tholosanaˀ Provincialis Provincie indivise (1).

Sub isto magistro etiam provincia Alamanie fuit divisa in Theutoniam et Saxoniam ˀ Provincia etiam Polonie in Poloniam et Bohemiam fuit divisa.

---

25) *Melius scriptum fuisset:* fuitque factor operis. non sermonis tantum.

---

(1) Idest, qui Provinciae Provinciae Prior Provincialis fuerat, priusquam laudata Provincia in Provinciam Tholosanam et Provinciam Provinciae divisa fuisset.

Hic in quodam Capitulo generali declaravit cum patribus. quod vicarii priorum provincialium fratres sibi commissos possint a fractione silentii absolvere et plenarie relaxare.

Cum autem prefuisset ordini annis duobus et mensibus quatuor ʒ obiit in Conventu Treverensi provincie Theutonie ; anno domini m°· ccciii°·

Anno domini m°· ccciiii°· Electus est in Magistrum ordinis Tholose frater Amarricus Placentin. natione Lombardus ʒ qui tunc erat Lector Conventus Bononiensis et electus in Provincialem Grecie ; et presens erat tempore electionis sue in Magistrum in Capitulo generali Tholose celebrato.

Huius magistri tempore floruerunt multi magni et egregii viri ordinis nostri in diversis mundi partibus ; vite sanctimonia et scientia litterarum clarissimi. qui diversa opera ecclesie utilia descripserunt.

Anno domini m°· cccvii°· Missi fuerunt a dño Clemente papa v^to^· nonnulli inquisitores heretice pravitatis ordinis nostri fratres in Lombardiam superiorem cum Vercellensi Episcopo ; contra Dulcinum heresiarcham veterum et novorum errorum inventorem. Quo tandem per ministerium fratrum capto et membratim diviso ʒ membra eius omnia simul combusta fuerunt ; cum nonnullis complicibus suis. perversi ipsius dogmatis imitatoribus.

Cum autem magister ipse ordini vii. annis prefuisset ʒ et tandem eo humiliter postulante. cessio sua admissa fuisset in Capitulo Neapolitañ ; migravit a seculo Bononie. et ibi sepultus quiescit. anno domini millesimo tricentesimo vicesimo septimo. sexta die mensis Iulii.

Anno domini m°· cccxii°· Electus est in Magistrum ordinis Carcassone frater Berengarius ; magister in Theologia. Provincialis Tholosañ. vir fama opinione et sciencia clarus.

Tempore suo missi fuerunt quidam de fratribus nostris ad partes orientales ; qui multos infideles. potissime in Armenia et Perside. ad fidem catholicam converterunt.

Inter ceteros notabiliores fratres tunc clarentes in ordine ʒ

floruit frater Bernardinus de Montepoliciano nobilis genere: sed virtutibus nobilior ac moribus. Hic cum ab emulis quibusdam graviter diffamatus fuisset quod causam prestitisset morti dñi Henrici Imperatoris Romanorum. cuius confessor fuerat ⁊ et propterea multis contumeliis lacessitus extitisset: divina tandem miseratione sufficientissime purgatus fuit super tam calumpnioso criminis huius obiectu eidem fratri Bernardino insidiose facto per emulos et ordini invidentes. ut ipsum ordinem diffamarent.

Cum vero idem magister Berengarius annis quinque et mensibus iiii$^{or}$. ordini laudabiliter prefuisset ⁊ dñus·Iohannes papa mittens eum Legatum ad Franciam. anno domini m°· ccc°· xvii°· paulo post. videlicet in festo Exaltationis sancte Crucis eiusdem anni. providit de persona sua ecclesie Compostellañ. preficiens eum ipsi ecclesie in Archiepiscopum et pastorem. officio magisterii resignato: cui quidem Archiepiscopatui diu prefuit. ac tandem plenus dierum decessit.

Anno domini m°· ccc°· xviii°· Electus est in Magistrum ordinis Lugduni frater Herveus Brito Magister in theologia Provincialis Francie: qui multos libros conscripsit. et ordinem strenue rexit.

Sub eo anno domini m°· ccc°· xxiii°· beatus Thomas de Aquino canonizatus fuit. per papam Iohannem xxii. in ecclesia beate Marie Avinionen. ⁊ presente dño Roberto Rege Sicilie. et Regina eius uxore. ac omnibus Cardinalibus et prelatis Curie Romane: videlicet xv°. kal. Augusti eiusdem anni.

Fuerunt autem facti in palacio pape plures sermones super canonizatione eiusdem sancti: quorum duos fecit idem papa. et unum prefatus Rex. dictum sanctum et ordinem non mediocriter extollentes.

Prefuit autem idem Magister Herveus ordini annis quinque. mensibus duobus: et obiit postmodum anno videlicet domini m°· ccc°· xxiiii°· (1) in Narbona. ubi et sepultus est.

---

(1) *Legendum:* m°. ccc°. xxiii°.

Anno domini m°· ccc°· xxiiii°· Electus est in Magistrum ordinis apud Burdegalim frater Barnabas vercellensis natione. provincialis Lombardie ζ vir bonus et religionis amator⁏ cuius tempore claruerunt hinc inde in diversis provinciis fratres plurimi ordinis nostri. religionis zelo. vite quoque sanctimonia clari.

Inter quos frater Iohannes Taularii (*sic*) Argentinensis Conventus. amator boni. et mali fervens et severus persecutor. predicator quoque eruditissimus claruit⁏ qui in publicis predicationibus suis multa futura predixit que postmodum impleta sunt. Multa dum viveret luctamenta cum demoniis habuit ζ et multos perditos homines ad frugem melioris vite convertit⁏ et tandem etiam post mortem miraculis claruit.

Eodem tempore. cum Ludovicus dux Bavarie ius Imperii et titulum regii nominis. contra sanctiones apostolice sedis. vi atque violentia sibi usurparet ζ et propterea ipse et quidam frater ordinis minorum. quem pro antipapa erigi (*sic*) fecerat. quique eum coronaverat. essent per processus apostolicos censuris ecclesiasticis innodati. et publicatio eorum suorumque complicum Magistro ordinis nostri et Provincialibus ac Conventualibus Prioribus ceterisque fratribus illius commissa esset facienda⁏ dictus Ludovicus in plerisque Conventibus fratres predicatores iussit expelli. et in exilium mitti. Unde ni[l] mirum si in tantis tumultibus et discordiis principum ac terrarum. in quibus fratres implicati videbantur⁏ religio et fervor devotionis sicut temporibus primitivorum sanctorum fratrum non crescebat.

Hic magister ordinis multa statuit et declaravit in Capitulis generalibus. Inter alia vero declaravit quod illegitime nati non possint iurisdictionem aliquam obtinere. nec ordinariam nec delegatam⁏ ut puta Prioratum. supprioratum. visitation. vicariatum.

Prefuit autem ordini annis viii. mensibus vii ζ et tandem dormiens cum patribus suis anno domini m°· ccc°· xxxiii⁏ sepultus est in Conventu Parisiensi.

Anno domini m°· ccc°· xxxiiii°· Electus est in magistrum ordinis in Lemovica frater Hugo magister in theologia Provincialis Francie ; qui lumine eterne sapientie ac donis spiritualibus preditus fuit. scientia quoque. vita et virtutibus insignis : ut de eo testatur venerandus et sanctus vir frater Henricus in prologo libri Horologii sapientie. qui huius magistri temporibus in omni sanctitate religione doctrina et gratia claruit.

Hic magister in capitulis generalibus cum patribus declaravit ; quod frater qui non habet quatuor annos in ordine a professione : non potest esse Prior vel Supprior aut vicarius eorumdem ; nec admitti ad discussionem eorum que mittenda sunt ad Capitulum generale vel provinciale. nec ad electionem Prioris Conventualis : et generaliter in omnibus hiis. que ad huiusmodi capitula generaliter (*sic*) sunt mittenda.

Tempore suo. anno videlicet domini m°· ccc°· xl°· in Capitulo generali apud Mediolanum celebrato ; translatum fuit solemniter et devote. concomitantibus multis miraculis. corpus beati Petri martiris de ordine predicatorum de loco in quo tunc humatum quiescebat ad alium honorabilem locum : et in tumba preciosissima integre reconditum.

Prefuit autem hic magister ordini annis vii. mensibus duobus : et obiit in Avinione. anno domini m°· ccc°· xli°· in die sancti Sixti.

Anno domini m°· ccc°· xlii°· Electus est in Magistrum ordinis in Carcas[s]ona. frater Geraldus de Domario Tholosan. magister in theologia.

Hic in Capitulo sue electionis declaravit cum patribus quod ordinationes precepta et sententie excommunicationum. que componuntur in actis capitulorum generalium et provincialium. non obligant fratres : nisi usque ad noticiam actorum sequentis capituli generalis vel provincialis.

Prefuit autem ordini vix mensibus quatuor : et assumptus fuit xxª· die mensis Septembris anni prescripti per dominum Clementem papam vi. in presbiterum Cardinalem tituli sancte Sabine.

Anno domini m°· ccc°· xliii°· Electus est in Magistrum ordinis Parisius frater Petrus de Palma Conventus Bisuntini. provincie Francie. magister in theologia : qui inter cetera sua opera etiam super aliquos libros biblie scripsit.

Hic declaravit quod illegitime natus non potest esse Supprior nec Prioris vicarius in aliquo Conventu. Priore illius Conventus mortuo vel amoto : nisi in hoc cum eo fuerit dispensatum.

Prefuit hic magister ordini anno uno. mensibus ix : et obiit Parisius anno domini m°. ccc°. xlv°.

Anno domini m°· ccc°· xlvi°· Electus est in Magistrum ordinis in Brivo (*sic*) provincie Tholosan. frater Garinus provincialis Francie Magister in theologia : cuius tempore Clemens papa concessit ⁊ quod auctoritas vicariorum ministrorum Sororum a Magistro ordinis et Prioribus provincialibus positorum et institutorum duret post mortem vel amotionem Magistri vel provincialium : donec et quousque futurus Magister vel provincialis aliter duxerit ordinandum.

Suo etiam tempore Cives Colonienses in Theutonia fratres Conventus eiusdem Civitatis. ad predicationem fratris Henrici de Dreysia. tunc ordinis nostri. postea ordinis Augustinensium. supra incredibilem modum vexaverunt. Nam idem frater ad velamen sue nequicie asserebat fratres nostros in statu salvandorum non esse : eo quod contra votum sue professionis. redditus possessiones domos et talia iure proprietatis possidebant. Unde prefatus Clemens papa mandavit eisdem Civibus ut a vexatione fratrum desisterent : et eos tanquam Dei ministros favorabiliter et gratiose tractarent.

Prefuit autem ordini magister Garinus annis duobus et mensibus duobus ⁊ et obiit in Conventu Montismiliatu Provincie : anno domini m°· ccc°· xlviii°· decimo kalendas Iulii.

Anno domini m°· ccc°· xlix°· Electus est in Magistrum ordinis Barchinone provincie frater Iohannes de Molendino·

---

30) *Corrige et supple:* Montismiliani Provincie Francie. — 33) Barchinone provincie. *Supple:* Aragonie.

Magister in theologia et doctor sacri palacii. vir magne doctrine et fame non parve: qui absens fuit a generali Capitulo tempore electionis sue.

Huic magistro summa cura fuit reducere ordinem nostrum ad primeve religionis fervorem: sed quia eo tempore pestis quamplures boni propositi fratres extinxit ⁊ ipseque etiam diu ordini non prefuit: nequivit apud Deum et homines tam commendabile propositum suum ad optatum effectum perducere.

Postquam autem anno uno et mensibus quinque vel vi. ordini prefuerat ⁊ dñus Clemens papa vi. eum in presbyterum Cardinalem assumpsit: anno Iubilei videlicet m°·ccc°·l°· Ideo sequenti anno intermissum est Capitulum generale.

Anno domini m°·ccc°·lii°· Electus est in Magistrum ordinis in Conventu Castrensi provincie Tholosane frater Simon de Lingonis: magister in theologia. Provincialis Francie.

Hic magister in Capitulis generalibus diversas ordinationes et declarationes fecit ⁊ statuens inter cetera. quod officium beate virginis sabbatinis diebus tempore paschali celebre perageretur. sicut aliis sabbatinis diebus. additis congruis Alleluia: quodque post Pater noster quod dicitur in fine horarum canonicarum post Fidelium anime. Salve regina cum versiculis et collectis flexis genibus diceretur.

Cum autem ipse ad Imperatorem. et ad componendam pacem. inter Francie et Anglie Reges. per dñum Innocentium papam vi. orator destinatus fuisset ⁊ eo tamen absente diffinitores Capituli generalis Perpiniani provincie Aragonie anno domini m°·ccc°·lx°· celebrati ab officio Magisterii ipsum absolverunt: sed cum dicta sua absolutio ad noticiam eiusdem pape devenisset ⁊ declaravit illam irritam fuisse et inanem: restituitque eum ad officium magisterii prenotatum.

Sub eo sanctus Vincentius. iuvenis tunc acuti ingenii. decimo octavo sue etatis anno. ordinem predicatorum ingressus est. anno videlicet m°·ccc°·lviii°· Nonis Februarii: et in eo vixit in pura innocentia annis sexaginta.

Prefuit autem hic magister venerandus ordini annis xiii.

et aliquibus mensibus. Dñus autem Innocentius papa predictus obtulit ei Episcopatum Vernensem. quem acceptare renuit: deinde dedit ei ecclesiam Natatensem. quam resignato magisterii officio humiliter acceptavit. anno domini m°·ccc°·lxvi°· Et propter hoc non fuit illo anno capitulum generale celebratum.

Anno domini m°·ccc°·lxvii°· Electus est in Magistrum ordinis in Avinione frater Helias Tholosanus, magister in theologia: vir magne fidei ferventisque zeli.

Sub eo corpus sancti Thome de Aquino de Monasterio Fossenove Cisterciensis ordinis ubi lxxv. annis iacuerat ζ translatum est ad ordinem predicatorum. laborante et sollicitante hoc eodem magistro: locatumque fuit in Conventu Tholosano. excepto brachio quod est in Conventu Parisiensi. Documenta etiam ipsius sancti velut scripta Augustini et aliorum doctorum per Urbanum papam v. fuerunt approbata: prout constat in litteris apostolicis desuper expeditis.

Tempore huius Magistri. cum ortum esset scisma perniciosissimum in ecclesia Dei. super electione Romani Pontificis ζ que de Urbano sexto. primo. et deinde de Clemente vii. in diversis locis per Cardinales facta extiterat: prefatusque Magister recedens ad obedientia Urbani ζ una cum quatuor provinciis. videlicet Francie. Tholosana. Aragonie et Provincie. (1) eidem Clementi adhesisset: sedecim alie provincie. persistentes in obedientia dicti Urbani. alium in magistrum ordinis. videlicet fratrem Raymundum Provincie Lombardie. de quo dicetur inferius. post duos fere annos elegerunt.

Invalescente itaque scismate predicto ζ orta est nimirum periculosa divisio nimis in ordine nostro: ita ut quilibet eorumdem Raymundi et Helie. cum sibi adherentibus fratribus. suum celebraret capitulum generale. Sicque duplicia erant capitula in ordine. Plerumque vero ea tempestate ζ reperie-

2) *Lege:* Episcopatum Nivernensem. — 3) *Lege:* Ecclesiam Nannetensem.

(1) Auctor, cum Urbanistarum partes tueatur, de rebus sic dictae « Avinionensis Obedientiae » minus accurate scribit.

bantur fratres in una provincia vel uno loco diversis obedire pontificibus : duravitque tam dispendiosa contencio huiusmodi donec Martinus v. pontifex Romanus crearetur.

Prefuit autem hic magister Helias ante electionem Raymundi prefati ordini nostro annis xiii : et postmodum annis xi. supervivens. tandem anno domini m°. ccc°. xci°. (1) diem clausit extremum.

Anno domini m°. ccc°. lxxx°. Electus est in Magistrum ordinis Bononie frater Raymundus de Capua. de provincia Regni Sicilie. Provincialis Lombardie. magister in theologia ζ de quo superius mencio habita est : vir totius sanctitatis et religionis. qui toto nisu satagebat ut non solum animas fratrum et sororum sue cure commissorum. sed et omnium hominum suo lucrifaceret creatori.

Cum illo tempore regularis observantia et fervor devotionis iam pene in multis locis et personis aruisset ζ dictus magister. qui regularis observantie erat amator ardentissimus et fidelissimus emulator : hoc non sine cordis amaritudine recogitans. totam mentis sue cogitationem exhibuit. circa statum ordinis digne ac laudabiliter reformandum. Ordinans inter cetera de multorum fratrum Deum pre oculis habentium prece humili atque consilio ζ quod in qualibet provincia unus Conventus ad minus esset : in quo fratres volentes vivere iuxta tenorem constitutionum nostrarum ac regule formam observare. morari valerent. Precipiens insuper in virtute spiritus sancti et sancte obedientie ζ ut quilibet provincialis. sub pena etiam absolutionis ab officio suo : talem Conventum in provincia sua procuraret ordinari et haberi. Cuius quidem ordinationis et precepti confirmationem : a sede apostolica reportavit. Quia tamen fratres bone voluntatis eo tempore numero erant paucissimi : tam comendabilis ipsius magistri affectus

---

10) *Ad marg.* confessor sancte Kath[erine] virginis ordinis predicatorum.

---

(1) Mortuus est Helias die ultima Decembris anno m°. ccc°. lxxxix°. Qui autem annos in festo Nativitatis Dominicae incipere solebant, Heliae decessum anno m°. ccc°. xc°. adscripserunt.

non potuit ad optatum effectus exitum perduci in omnibus provinciis.

Erat tamen tunc temporis in provincia Theutonie frater Conradus de Grossis. vir vite laudabilis et predicationis mirabilis ζ qui. tanquam aliis ferventior ad tam sanctum reformationis opus inchoandum. in quodam Capitulo vel generali vel provinciali. ausu humili magistrum prefatum adiitʔ petens ab eo. ut sibi suisque imitatoribus locum aliquem assignaret. in quo sub regulari observantia. absque ullo dispendiose perturbationis obstaculo morari valeret. Ad hoc magister ipse. plus solito nimirum spirituali quadam iocunditate factus alacrior ζ domum |Co|Lumbariensem Basiliensis dioces. dicte provincie Theutonie eidem fratri Conrado assignavitʔ requirens eum. eique nichilominus sub obedientie virtute precipiens ζ quatinus opus hoc dignum commendatione non modica viriliter assumeretʔ et tanquam murus inexpugnabilis. ac columpna ferrea. de nullo volente eum impedire penitus dubitaret. Congregavit igitur brevi temporis spacio prefatus magister Conradus in eadem Lumbariensi (*sic*) domo fratres numero xxx ζ iuxta constitutiones nostras vivere statuentesʔ quibus magister ordinis Raymundus eundem fratrem Conradum preposuit in Priorem. Hii itaque taliter observare ceperunt cum effectu ζ et adeo predicationi verbi Dei. non solum verbis. sed et exemplis insistereʔ ut fervorem patrum primitivorum nostrorum rursum in medium prosiliisse putares. novumque claritatis iubar vergenti mundi vesperi ortum esse. Succrevit nempe in domo ipsa ex tunc perfectior obedientia subiectorum erga eos quos oportet esse subiectosʔ paupertas strictior. purior castitas ζ cultus quoque divinus solito fuit instantiorʔ in odorem optime fame. compunctionem populi. gaudium cleri. totiusque Civitatis et hominum illius decorem atque gratulationem. Cuius exemplo. successu modici tempo-

12) *Scriptum fuerat a priore librario:* Lumbariensem. *Nomen complevit codicis emendator.* — 13) *Abrasa membrana, vox* fratri *alii substituta est.* — 28) *Locus corruptus. Legendum puto:* erga eos quibus oportet illos esse subiectos.

ris. nonnulla alia loca provincie eiusdem Theutonie. tam fratrum quam sororum. reformata fuere: et ad pristine religionis observantiam restituta.

Idem Magister ordinis Raymundus circa statum faciende reformationis huiusmodi statuit multa; que apostolica obtinuit auctoritate roborari: presertim. ne quis scienter directe vel indirecte. pro tunc vel in futurum. aliquid sub excommunicationis sententia attemptare presumeret; per quod observantia impediri posset. seu etiam quantulumcunque retardari: neque fratres ad observantiam ipsam se transferre volentes. per se. vel alium. seu alios. quovis quesito colore. retraheret.

Floruerunt sub eodem Magistro Raymundo multi fratres vita et sanctitate clarissimi: inter quos frater Iohannes Dominici magister in theologia; magnus zelator religionis et primus in Lombardia ordinis nostri reformator. qui domum extra muros Florentin. pro fratribus observantibus de novo fundavit: deinde ad Cardinalatus fastigium assumptus. pro unione ecclesie tempore scismatis non mediocriter laboravit.

Postquam autem prefatus magister annis xix. ac mensibus fere iiii. tam sancte quam laudabiliter ordini prefuerat; et reformationi iam dicte cum magnis laboribus et erumpnis insteterat: tandem fatigatus quievit in pace. anno domini m°·ccc°·xcix°· sepultus in Nürenberga.

Anno domini m°·cccci°· Electus est in Magistrum ordinis in Utino frater Thomas de Firmo: magister in theologia. Provincialis Provincie sancti Dominici. religionis zelator. et vir tante doctrine. ut a plerisque secundus Thomas vocaretur (1).

---

23) *Haec verba* « sepultus in Nürenberga » *serius addita sunt.*

---

(1) In collectaneis saeculo xv. scriptis et Vindobonae apud Fratres Praedicatores asservatis, haec de Thoma Firmano leguntur: « Fertur Magister Thomas de Firmo. facta sua electione in Magistrum ordinis in $i^a$. sua collacione coram patribus et fratribus in capitulo congregatis dixisse. post illud thema *Rex faciet iudicium et iusticiam*. quod fideliter velit assistere fratribus observancie. facturus etiam iusticiam et iudicium contra emulos eorum si necesse fuerit ».

Hic fuit antea ordinis vicarius generalis et Romanis pontificibus nepos (*sic*) ac carus ζ et impetravit ordini a sede apostolica privilegia. et conservavit ordinem in sua libertateˀ licet habuerit repugnantiam.

Suo tempore multi fratres ordinis nostri. tam vite sanctimonia. quam scientia litterarum clarissimi. in plerisque locis floruerunt ˀ inter quos famosissimus orbis terrarum predicator. vita quoque et miraculis gloriosus. sanctus Vincentius Ferrarii (*sic*) de Valentia. magister in theologia. claruit.

Sub eodem magistro ordinis. fuerunt multi Conventus per ordinem legitime acceptati. de consensu provinciarum in quibus existebant ζ duo videlicet in provincia Romana. et duo in provincia Regni Sicilieˀ duo in provincia Ispanie. et unum in provincia Saxonie.

Postquam vero idem magister Thomas annis xiii. et mensibus x. ordini prefuerat ζ et pro reformatione ordinis multos labores sustinueratˀ obiit Ianue anno domini mº·ccccº·xiiiiº· die decima mensis Martii.

Anno domini mº·ccccº·xiiiiº· Electus est in Magistrum ordinis Florentie. in festo sancti Michaelis. in Capitulo generali tunc ibidem contra Constitutiones et consuetudinem ordinis celebrato. frater Leonardus Stacii de Florentia theologie magister excellentissimus ˀ unus de electoribus dñi Martini pape v$^{ti}$. in concilio Constanciensi creati.

Hic in diebus suis nominatus et famosus. atque inter prelatos ecclesie egregius et magnificus apparuitˀ multa quoque fructuosa opera scripsit.

Sub eo obiit sanctus Vincentius plenus dierum et virtutibus in Civitate Venetensi Britanie. anno etatis sue lxxvii ζ et in ecclesia Cathedrali sepultus extititˀ eo quod fratres tunc temporis Conventum inibi non haberent. Floruerunt autem fratres Gotfridus et Petrus discipuli et socii predicti sancti ζ qui tante perfectionis et eruditionis fueruntˀ ut eorum doctrina multum populis profuerit. et in vita et post mortem multis miraculis claruerint.

Prefuit autem hic magister ordini annis xi? et postquam sue sollicitudinis cura multi Conventus tam fratrum quam sororum in diversis provinciis. et presertim Theutonie. fuerant reformati ⁏ obiit in pace in Conventu Florentino anno domini m°· cccc°· xxv· ? quo tempore dn̄us Martinus papa v. eum in Cardinalem assumpserat. et ei Cardinalatus insignia transmiserat. Cum vero nuncii apostolici Florentiam pervenissent? repererunt eum iam extinctum ⁏ unde insignia ipsa posuerunt super feretrum? et sic cum tali gloria et honore corpus suum ecclesiastice traditum extitit sepulture.

Anno domini m°· cccc°· xxvi°· Electus est Bononie in Magistrum ordinis frater Bartholomeus Texerii. magister in theologia? emulus vitiorum. zelator animarum. Hic vir Dei. cum turbato cordis oculo perspexisset ordinis observantiam et institutionem laudabilem beati Dominici pene exsiccatam esse ⁏ veluti pius pater. sua industria et labore. multa loca ordinis. tam apostolica quam officii sui auctoritate. ad canonice religionis observantiam restituit? et ad instar predecessoris sui magistri Raymundi de Capua. licet multis se ferocissime opponentibus. reformavit. Nec eum aliquando minarum incussio ⁏ vel timor hominum perversorum exterruit? quin more salvatoris nostri Ihesu Christi. animam suam poneret pro ovibus suis.

Inter alia vero loca nostri ordinis per eum laboriosissime reformata ⁏ reduxit ad normam observantie regularis Conventum Basiliensem provincie Theutonie? in quo fratres morabantur eo tempore carni et sanguini servientes. Inoleverat em̄ apud seculares personas regionis illius. propter vitam fratrum irreligiosam. commune quoddam derisionis proverbium ⁏ per quod non solum notabatur malorum conversatio? sed et bonorum fama non mediocriter ledebatur. Hoc perpendens magister ipse non sine displicentia cordis. nec dissimulare valens? deliberavit Conventum ipsum ad primeve religionis restituere disciplinam. Et licet fratres in eo degentes tantam ei rebellionem ostenderent ⁏ ut magnates et potentes dominos

partium illarum adversus ipsum Magistrum concitarent. adeo ut ipse aliquando in publico comparere non auderet: nullatenus tamen a cepto destitit proposito. donec ad optatum deduci posset effectum. Unde post multas certaminum pugnas ⁊ tandem Conventus ipse reformatus extitit: et deformitas vite in bone fame odorem. tepor in fervorem divini cultus mutatus est.

Cura huius Magistri. in diversis diversarum provinciarum Conventibus refloruit observantia ordinis: regularis quoque vita revixit. Nam tunc temporis in Conventibus reformatis ⁊ ad laudes beate virginis fuerunt fratres prompti et fervidi: atque antiphonam Sub tuum presidium preter solitum devotius extollentes. Post matura vero capitula vidisses tres aut quatuor ordines fratrum Altare matris Christi circumdantes ⁊ ei preces humiles non sine singultibus et gemitibus effundere: atque serotino matutinoque tempore singulas Capellarum ambonis (1)

---

(1) AMBO (Anglis ROOD LOFT, Gallis JUBÉ, Germanis LETTNER) est pulpitum choro editius, unde Evangelium, Epistolam et Lectiones pronuntiare solent. Varius est, pro Templorum forma locorumve consuetudine, Ambonum situs. De iis solum quibus capellae seu cellae sacrae subiacent hic dicendum est, cum de aliis Auctor noster siluerit. Sed antequam ad descriptionem veniatur, pauca sunt praenotanda:

Templa sua Fratres Praedicatores in tres partes distinguunt. In prima parte, ad apsidem, sublime gradibus eminet PRESBYTERIUM: ibi ara maxima. A Presbyterio protenditur secunda pars, seu duplex Fratrum CHORUS, CLERICORUM scilicet et CONVERSORUM. In tertia parte, quae ECCLESIA LAICORUM, sive etiam ECCLESIA EXTERIOR dicitur, consistunt laici saeculares, qui sacris interesse aut Dei verbum audire voluerint. Aegre enim ferunt Clerici et viri Regulares laicos psallentium choro se immiscere: testis est scriptor anonymus, qui eos a choro apagere carmine misto (vulgo MACARONICO) iubet:

« Ite foras laici,
Non est vester locus ici;
Sed locus est ici
Qui sunt altaris amici ».

(*Lib. Dialogorum Gherarchiae subcaelestis* lib. 4. cap. 4. Cfr. QUÉTIF et ECHARD *Scriptor. Ord. Praed.* tom. 1. pag. 685. sub anno 1382).

Quo vero a Choro laici facilius prohibeantur, inter Chorum et Ecclesiam laicorum murum ducere consueverunt, cui portam et fenestras indunt solennibus horis aperiendas. Qui murus, in multis templis, arcuatae structurae est, ad instar pontis se attollens. Muri capitibus imminent Ambones. Pars muri seu pontis inferior, utrinque pro numero arcuum, in cellas seu capellas laicis obvias, minoribusque aris instructas, est distributa. Medium spatium inter capellas obtinet Chori porta primaria, quae a

et exterioris ecclesie reliquias atque altaria devotissime visitare. Informabant. corrigebant et manuducebant se mutuo cum omni vera et sincera caritate que Christus est. Hii cilicium super nudo portabant? isti multis vigiliis. illi flagellorum plagis. alii penitencie operibus corpora sua super incredibilem modum castigabant. Circa mores vero hominis exterioris magna viguit in eis disciplina. Plurimi erant qui per totum officium raro oculos more publicani sublevabant ⁊ a clamoribus abstinentes officium mediocriter decantabant? errores qui contingebant quietius et modestius quo poterant emendabant. Videns autem dñus Eugenius papa iiii. fructum uberem. quem ordo noster ob reformatam vite normam longe lateque diffundebat? concessit reformatis fratribus atque sororibus. aliquotiens in vita et in mortis articulo. suorum plenariam remissionem peccatorum.

Floruerunt vero ea tempestate. inter ceteros litterarum scientia et doctrine eloquentia splendidissimos? frater Iohannes de Turrecremata natione Ispanus. magister in theologia. postmodum Cardinalis tituli sancti Sixti ⁊ qui ecclesie in variis tractatibus multa descripsit utilia? et frater Anthoninus. homo vite sanctissime. vicarius reformatorum Conventuum per Ita-

---

5) *Melius scriptum fuisset:* alii aliis penitencie operibus.

---

quibusdam SPECIOSA dicitur. Alicubi tamen, muro medio adhaeret ara binis portis interposita. De hac Ambonum forma legere iuvabit quod gallice scripsit I. B. Thiers, vir usus ecclesiastici scientissimus: « Comme les jubés (Ambones *intellige*) ont di- « verses situations, ils ont aussi diverses formes. Ceux qui sont entre le chœur et « la nef, et qui traversent toute la face du chœur, sont longs à proportion que le « chœur qu'ils traversent est large, et ont les uns plus, les autres moins de largeur. « Celui de S. Jean de Lyon a trente-deux piés de long, huit piés de large et douze « piés de haut. Il y a sept portiques (*melius scripsisset:* arcades) dessous. La porte du « chœur est sous celui du milieu; les deux plus éloignés sont clos d'une balustrade « de cuivre jaune, qui renferme à droit une image de S. Jean, et à gauche une image « de saint Estienne. Aux quatre autres portiques, il y a quatre petits autels de marbre « blanc ». (*Dissertation sur les Jubés des Eglises.* Paris 1688. pag. 18). Plerique id genus pontes cum capellis et ambonibus saeculo xvi. ac postea sublati sunt; chori vero in abside positi. Ambonum destructionem laudatus Thiers reprobavit, et acriter in AMBONOCLASTAS invectus est.

liam ζ qui et successu temporis. licet invitus. in archiepiscopum Florentinum provectus est: et consummato tandem cursu vite sue. feliciter migravit ibidem ad dominum ζ et in ecclesia fratrum apud sanctum Marcum sepultus extitit: ubi magnis coruscat miraculis.

Prefuit autem ordini venerabilis hic Magister Bartholomeus diutius quam aliquis Magistrorum ordinis a tempore beati Dominici: nam xxiii. annis et tribus mensibus. non minus religiose quam utiliter. rexit ordinem. Tandem vero post perpessos labores quamplurimos ζ plenus dierum et bonis operibus obiit in Conventu Lugdunensi: anno domini mº·ccccº·xlixº·

Anno domini mº·ccccLº· Electus est anno Iubileo in Magistrum ordinis Lugduni. frater Petrus Boschim magister in theologia tunc provincialis Provincie: quam quidem provinciam diu ac laudabiliter rexerat. Erat autem virtuosus et gratia preditus ζ sed quia debilis et annosus fuit. ordinem predicatorum in officio magistratus solum quadraginta diebus rexit: et migravit ad dominum eodem anno. circa festum beati Iohannis baptiste.

Anno domini mº· ccccº· Liº· Electus est Rome in Magistrum ordinis frater Guido. Magister in theologia de Conventu Cameracensi provincie Francie: tunc procurator ordinis nostri. Hic per plures annos fuit principalis socius sancte memorie Magistri Bartholomei. de quo supra mencio facta extitit ζ sed quia senex et corporis viribus destitutus erat: ordinem in Magistratus officio non plene mensibus octo rexit. Obiit autem eo anno quo in Magistrum electus fuerat. in Civitate Neapolitana. ubi et sepultus est: in mense novembris videlicet eiusdem anni.

Anno domini mº· ccccº· Liiiº. Electus est Nanneti Britanie in Magistrum ordinis frater Marcialis Auribelli de Avinione Magister in theologia: tunc provincialis Provincie.

Tempore magistri huius anno videlicet mº· ccccº· lvº· in

13) *Lege:* Rochim.

festo Apostolorum Petri et Pauli. dñus Calixtus papa iii. Rome in basilica principis Apostolorum. presente innumera tam prelatorum quam ecclesiasticarum et secularium personarum multitudine. sanctorum cathalogo annotavit beatum Vincentium ordinis predicatorum fratrem ζ qui eo vivente. multas perditorum hominum animas lucrifecerat Christo Ihesu ˀ et post transitum suum infinitis miraculorum signis coruscabat. Mandans idem papa acceptari festum suum ˀ et ab omnibus Christi fidelibus devotissime venerari.

Sequenti anno videlicet mº· ccccº· lviº· presentibus dñis Alano tituli sancte Praxedis sacrosancte Romane ecclesie presbitero Cardinali. in Galliis apostolice sedis legato. ac Duce Britanie. et non modica populi turma. corpus ipsius sancti exhumatum fuit de ecclesia venetensi. in qua olim sepultum extiterat ˀ atque in loco honorabiliori repositum. In capitulo quoque generali ipso anno. in Montepessulano celebrato statutum fuit ζ ut festum dicti sancti sub toto duplici celebraretur per totum ordinem ˀ de eo quoque memoria fieret sicut de aliis sanctis ordinis nostri.

Anno vero mº· ccccº· lxiº· canonizata extitit atque sanctorum consortio aggregata beata Catherina de Senis. ordinis beati Dominici de penitentia nuncupati. per dñum Pium papam ii ˀ in Basilica principis Apostolorum de Urbe.

Postquam vero idem Magister Marcialis annis novem ordini prefuerat ζ absolutus fuit a sui Magisterii officio in Capitulo Senis. anno mº· ccccº· lxiiº· celebrato ˀ in quo Magister Ludovicus Fuchs sacre theologie professor de Conventu Ulmensi diffinitor extitit ζ que quidem absolutio facta fuit vigore cuiusdam brevis apostolici ˀ a prefato dño Pio papa desuper emanati. Fuit autem celebratum dictum generale Capitulum ˀ in festo assumpcionis gloriosissime Dei genitricis Marie.

Anno domini mº· ccccº· lxiiº· Electus est in Magistrum ordinis in dicto Senensi Capitulo frater Conradus de Ast. magister in theologia ˀ zelator religionis et totius honestatis amator.

Hic totis conatibus insudavit pro reformatione deformatorum ordinis nostri Conventuum? quam ubi per seipsum sicuti optabat facere non valuit. per alios tamen ad id ydoneos fieri procuravit.

Inter alia vero loca sue cure sollicitudine reformata. restituit ad exemplaris vite normam et studium observantie regularis insignem Conventum Coloniensem? qui brevi temporis spacio crevit in copiosa devotorum fratrum turma.

Sequenti anno videlicet m°· cccc°· lxv°· instantibus et id humiliter petentibus Magistro Ludovico Fuchs sacre theologie magistro et quibusdam aliis devotis fratribus. una cum Consulatu opidi Ulmensis. Constanciensis dioc.? magister Petrus Wellen provincialis provincie Theutonie Conventum ipsius opidi reformavit.

Multa salubria. propagationem atque incrementum religionis nostre concernentia. prefatus magister. qui circa profectum illius versabatur assidue. cum patribus ordinis statuit? sed non omnia fuerunt ad optatum effectum deducta. Statutum autem fuit per prefatum Magistrum? quod festum beate Catherine de Senis per totum ordinem de toto duplici celebraretur.

Cum vero dictus Magister pro reformatione predicta non mediocriter laborasset. et profecisset in tantum. ut loca quamplurima ad observantiam essent regularis vite reducta ꝛ emuli timentes ne si toto conatu virium suarum obsisterent. plura (*sic*) cogerentur ad illam? paraverunt sibi tribulationes et dolores. adeo ut nocturno tempore Argentinam Civitatem Alamanie. clam exire compulsus est. Eum insuper apud dñum papam Paulum ii. de quibusdam sinistre accusarunt? propter que dñus papa predictus eum ab officio sui Magisterii suspendit usque ad generale Capitulum extunc proxime celebrandum. In quo quidem Capitulo Novarie. anno m°· cccc°· lxv°· celebrato. dictus Magister quorumdam importunam notans instantiam?

---

9) *Ad marg. manu aequali additum est:* Reformatio conventus Ulm. — 24) *Legendum:* timentes ne si toto conatu virium suarum non obsisterent.

sponte magisterio cessit. et cessionem suam humiliter admitti postulavit. quod et obtinuit.

Prefuit autem ordini: annis tribus.

Anno domini m°· cccc°· lxv°· Reelectus fuit in Magistrum ordinis Novarie Civitate Italie ille idem magister Marcialis. qui prius ab officio Magistratus per breve apostolicum absolutus extiterat: unde et hic de eo. quasi magisterium recuperaverit. nova mencio facienda videtur.

Hic post secundam sui electionem concessit omnibus Conventibus provincie Theutonie sub observantia degentibus ʒ ut de cetero possent habere generalem Vicarium. qui plena et immediata potestate fungeretur in omnibus: quique vices suas cum simili vel limitata potestate subdelegare posset.

Sub eo multa ordinis loca reformata fuerunt ʒ multa quoque salubria pro religionis augmento. tam in prima quam in secunda electione eius ordinata: ipseque in pluribus notabilibus negociis se bene ac laudabiliter exhibuit.

Cum vero per triennium iterato prefuisset ordini: dñus Paulus papa ii. eum ab officio Magistratus suspendit: et venerabilem patrem fratrem Leonardum de Mansuetis in vicarium generalem ordinis instituit. Post trimestre vero prefatus Magister Marcialis ad officium Magisterii prenotatum per eundem dñum papam plene restitutus est.

Prefuit autem ordini tam in prima quam secunda electione sua in totum annis xvii. mensibus tribus. diebus xvii.: qui et tandem in Avinionensi Conventu debitum nature persolvit.

Notandum vero. quod ab ordinis predicatorum primordio. usque ad ipsius Magistri Marcialis tempus inclusive. hii subsequentes provinciales in provincia indivise. atque divise Theutonie floruerunt: quorum primus (1)

Frater Bertholdus Dracho Conventus Gandensis. Hic prefuit provincie Theutonie anno domini m°· cc°· xxxiii°·

---

(1) Accuratiorem Provincialium indicem require in Appendice.

Frater Hitto prefuit mº· ccº· xlº· ⁊ cuius tempore primum generale Capitulum. quod in ipsa Theutonie provincia fuit: Colonie extitit celebratum.

Frater Edmundus. Hic bis prefuit in provincialatus officio: primo quidem anno domini mº·cclº· secundo vero mº·ccº·lxviiº·

Frater Hermannus de Hadelberg. nobilis genere. vir sanctus et religione preclarus ⁊ qui bis in ipso officio tam sancte quam laudabiliter prefuit: et ter diffinitor generalium capitulorum. quandoque vero socius priorum provincialium ad ipsa generalia capitula fuit.

Fr. Albertus magnus Suevus nacione. de militari (1) genere procreatus. doctor theologie: prefuit anno domini mº·ccº·lvº· qui et postmodum Episcopus Ratisponensis extitit.

Frater Alexander prefuit anno mº· ccº· lviiiº·

Frater Cooswinus quondam Prior Magdeburgensis prefuit anno.....

Frater Wulfrannus prefuit mº· ccº· lxixº·

Frater Ulricus quondam Lector Argentinensis prefuit anno mº· ccº· lxxiiiº·

Frater Conradus de Ezlinga. vir devotus. qui omelias elegantes scripsit: bis in provincialatus officio prefuit.

Frater Henricus Egli: prefuit m· cc· lxxxii·

Frater Hermannus de Minda vir religiosus et iuris diligens admodum indagator: prefuit anno mº· ccº· lxxxviiº·

Frater Theodoricus magister in theologia: prefuit anno mº· ccº· lxxxxiiiiº·

Frater Conradus de Trebese quondam prior Maguntin. prefuit anno mº· cccº· lxxxxviº· (*sic*).

Frater Hugo de Thurego prefuit mº· cccº·

Frater Antonius de Confluentia. cuius tempore provincia divisa fuit in Theutoniam et Saxoniam. fuitque primus pro-

---

6) *Nomen recentiore manu corruptum; legesis:* Havelberg. — 22) *Alias:* Engerlin. — 28) *Annus, hic et alibi passim, alia manu notatus est.*

---

(1) Militari, id est equestri, seu nobili.

vincialis Saxonie frater Aricardus Licenciatus theologie in Capitulo generali Tholosano Anno mº·cccº·iiiiº· celebrato.

Frater Egno de Stöffen prefuit mº·cccº·viiº·

Frater Iohannes de Liechtenberg magister in theologia postea Episcopus Ratisponensis prefuit anno domini.....

Frater Heinricus de Grünigen bis prefuit in provincialatus officio.

Frater Iacobus de Welsperg bis provincialis extitit.

Frater Henricus de Cingno quondam prior Coloniensis. qui cum adherentibus sibi contra Magistrum ordinis appellavit? (1) prefuit 1330.

Frater Bernardus Carrerii de provincia tholosana prefuit mº·cccº·xxxiiº·

Frater Iohannes de duobus montibus de Traiecto prefuit anno mº·cccº·xlº·

Frater Bartholomeus de Bolsenheim. vir generosus et sanctus. magister in theologia et doctor sacri palacii. prefuit anno mº·cccº·liiiiº·

Frater Gerardus de Antwerpia theologie magister prefuit anno.....

Frater Ulricus Wintneri (?) de Ratispona magister in theologia prefuit anno mº·cccº·lxxvº·

Frater Petrus Engli de Augusta magister in theologia bina vice prefuit in provincialatus officio.

Frater Ulricus Theobaldi magister in theologia. cuius temporibus reformatio provincie nostre incepit. prefuit mº·cccº·xcº·

Frater Petrus Florin prefuit mº·cccº·xcviiiº·

Frater Adam de Gladbach Conventus Coloniensis theologie magister prefuit mº·ccccº·vº·

Frater Gisbertus de Traiecto superiori prefuit anno mº·ccccº·xº·

---

23) *Alias* Engerlin.

---

(1) De lite hic memorata reperiuntur in Bibliotheca Vaticana commentarii et documenta, quae aliquando vulgatum iri speramus.

Frater Nicolaus Notel de Gamundia prefuit anno domini m°· cccc°· xxviii°.

Frater Petrus Wellen de Antwerpia theologie magister. binies provincialis extitit: et religionem nostram per opus sacre reformationis mirabiliter ampliavit.

Frater Henricus de Revenaco magister in theologia prefuit anno domini m°· cccc°· lv°·

Frater Wilhelmus Rosloff de Conventu Gamundiensi. theologie magister. prefuit anno m°· cccc°· lxix°· : et absolutus fuit in Capitulo generali Rome anno m°· cccc°· lxxiiii°· celebrato.

Hii omnes a principio ordinis provincie tam divise quam indivise Theutonie. usque ad tempus predicti magistri Marcialis inclusive. prefuerunt ⁊ quorum aliqui fervore religionis accensi pro reformatione dicte provincie non mediocriter insudarunt: ita ut iam numerus reformatorum Conventuum numerum aliorum non reformatorum excedat.

Anno domini m°· cccc°· lxxiiii°· Electus est Rome in Magistrum ordinis. nemine discrepante. magister Leonardus de Mansuetis de Perusio. Theologie magister: vir utique scientia litterarum et religione preclarus. Hic. cum Magister Marcialis. de quo supra mencio habita est. in Capitulo generali Rome celebrato ab officio Magisterii sui suspensus fuisset: in vicarium ordinis per dñum Paulum ii. primo. et deinde. ipso magistro Marciali defuncto. per dñum Sixtum iiii. Romanos Pontifices institutus fuit.

Ad humilem magistri huius precum instantiam: idem dñus Sixtus papa. in Capitulo Rome tempore electionis Magistri celebrato. indulsit omnibus et singulis fratribus ac sororibus ordinis nostri. semel in vita et semel in mortis articulo. plenam omnium peccatorum remissionem in forma ecclesie consueta.

In eodem Capitulo. fuerunt multi Conventus in diversis provinciis legitime acceptati: inter quos Conventus Heydelbergensis. quem dñus Fridericus Comes Palentinus (*sic*) Rheni. et Conventus Stugardensis quem dñus Ulricus Comes de

Wirttenberg. ambo principes illustrissimi. tanquam affecti ad ordinem. ob fragrantiam boni odoris vite fratrum reformatorum illius. in provincia Theutonie fundaverunt.

Statuit idem magister in prefato Capitulo. quod Octave festivitatis Corporis Christi per totum ordinem celebrari debeantˀ cum simili solemnitate qua Octave Resurrectionis et Penthecostes celebrantur. Fuerunt quoque tunc temporisˀ multa salubria ab ipso Magistro laudabiliter instituta.

Tempore suo. videlicet anno domini m°·cccc°·lxxv°· fuit celebratum provinciale Capitulum provincie Theutonie in Conventu Ezlingensiˀ ubi electus fuit in provincialem ipsius provincie Magister Iacobus de Stubach Prior Wiennensis. theologie Magister. et per eumdem Magistrum Rome confirmatus.

Tempore suo. videlicet anno m°·cccc°·lxxx°· celebratum est capitulum generale Perusiiˀ et ibidem inter cetera fuit institutum festum beati Leonhardi confessoris sub festo duplici.

Anno domini m°·cccc°·lxxvii°· sub prefato Reverendo provinciali patre celebratum est capitulum provinciale in conventu fratrum in lanczhut bavarieˀ ubi salubria multa pro regulari vita instituta fuerunt.

Anno domini m°·cccc°·lxxix°· sub antenominato patre provinciali. celebratum est capitulum provinciale in conventu wimpinensiˀ post quod anno lxxx°. Reverendus pater Felix Fabri lector. et conventus ulmensis predicator famosus de Ulma. in festo Tiburcii et Valeriani Terram sanctam adiit. rediitque post festum b. Martini episcopi (1). Anno vero precedenti. scilicet 79ˀ conventus gamundiensis vite regulari se subiciens reformatus fuit.

Anno domini 1480. in festo b. Anneˀ obiit in urbe magister ordinis Leonardus de Perusio.

Anno domini m°·cccc°·lxxxi°· Electus est Rome in ma-

---

(1) De suo itinere scripsit Felix Fabri commentarios omnino legendos, quibus titulum indidit: *Evagatorium in Terrae Sanctae, Arabiae et Egypti peregrinationem*, Anno 1843, curante Cunrado Dieterico Hassler, Stuttgardiae prodiit *Evagatorium*, cuius nova editio utinam mox adornetur!

gistrum Ordinis magister Salvus Casseta de Panormo provincie Trinacrie⁝ magister in theologia. scientia et religione famosus. Ad cuius humilem peticionem. dñus summus Apostolicus Sixtus huius nominis $4^{us}$. qui duo generalia capitula suis impensis Rome celebrari constituit⁝ omnibus fratribus et sororibus plenariam semel in vita et semel in morte indulsit indulgenciam ∴

Eodem anno. in nobili civitate Moguntina⁝ provinciale capitulum sub sepe memorato provinciali patre in festo sancti Iacobi apostoli celebratum fuit.

Anno domini $m^{o}$· $cccc^{o}$· $83^{o}$· $13^{a}$ aprilis. secundario venerabilis pater Felix Fabri lector conventus ulm. exivit Ulma versus sanctam Iherusalem⁝ quem dominus sua pietate conservet et reducat prospere.

Anno domini $1483^{o}$. $14^{a}$ septembris. obiit frater Salvus Casseta Magister ordinis⁝ et eodem anno per summum pontificem in vicarium ordinis institutus [est] Magister Bartholomeus de Bononia. vir religione et doctrina precipuus.·.

Anno domini $1484^{o}$ fuit reformatum solemne monasterium sororum ordinis sancte Clare Seflingen. octava die Ianuarii⁝ et in crastino sequentis diei Monasterium Fratrum Minorum hic in Ulma.

Anno domini 1484. penultima ianuarii. Venerabilis pater frater Felix Fabri lector et predicator famosus rediit de peregrinacione Syon et Synai. Laus sit Christo. eius matri. sueque sponse virgini Katherine.

Anno domini $1484^{o}$. dominica Iubilate. fuit capitulum in Columbaria cum magna religione et edificatione celebratum⁝ propter patrum communis vite absenciam (1). Qui congregati in capitulo recesserunt a patribus de observancia⁝ et in Schleczstat suam congregacionem habuerunt. Fuit in eodem capitulo in diffinitorem capituli generalis electus Reverendus magister

(1) « Communis vitae » Fratres tunc vocabantur qui mitiorem vivendi rationem sectabantur.

et pater prior conventus ulm. frater Ludovicus Fuchs: sed in itinere defecit. et suasu medicorum rediit ex Verona ad provinciam et suum conventum.

In eodem generali capitulo. post obitum Magistri Salvi de Panormo. anno quo supra. nona octobris. celebrato. fuit electus in generalem magistrum ordinis. diffiniente Reverendo magistro et patre fratre Iohanne Swarcz priore ratisponensi. Magister Bartholomeus de Bononia. summi pontificis dñi Innocencii octavi diligencia. Contigerunt in eodem capitulo mirabilia multa.

Anno domini 1·4·85°. obiit Magister Bartholomeus de Bononia Generalis ordinis in conventu perusino. in nocte sancti Dominici. ibidem sepultus.

Item eodem anno. fuit in generalem ordinis vicarium Reverendus pater Magister Iacobus de Stubach provincialis Theutonie institutus per breve apostolicum. et ad Urbem vocatus. Nuncius fuit Reverendus pater provincialis Terre sancte. sacre theologie clarissimus professor Petrus Antonius de Viterbio.

Anno domini 1·4·86. Dominica Cantate. fuit capitulum provinciale Nurenberge celebratum per Reverendum Magistrum Iacobum Sprenger. priorem coloniensem pro tunc provincie generalem vicarium. In quo fuit electus pater Felix Fabri lector ulmensis in Electorem Magistri ordinis. Et fuit disposicione summi pontificis capitulum generale Veneciis celebratum. in festo sanctissimorum apostolorum Petri et Pauli. in quo fuit electus in generalem ordinis Magistrum Barnabas de Neapoli. qui multo tempore fuit procurator ordinis in Romana curia.

In eodem generali capitulo frater Petrus Syber conventus ulmensis. fuit assignatus studio coloniensi. pro primo anno ad legendum Bibliam. pro secundo autem sentencias.

Eodem anno 28 iulii solvit debitum carnis idem Magister ordinis in conventu sanctorum Iohannis et Pauli Veneciis sepultus. Et institutus est in generalem vicarium Reverendus pater Magister Ioachinus de predicto conventu et loco.

Anno domini 1·4·87°. in festo Pentecostes fuit capitulum generale Veneciis celebratum in conventu sanctorum Iohannis et Pauli. in quo pater Felix Fabri lector conventus ulmensis fuit diffinitor. et pater Bernhardus Currificis de Eslingen elector. Et concorditer fuit electus in generalem magistrum ordinis Magister Ioachinus Turianus venetus.

Anno domini 1488. dominica cantate. fuit capitulum celebratum in Pforczheym. in quo iterum fuit diffinitor Reverendus pater Magister Ludovicus Fuchs prior ulm. et electus in provincialem Reverendus pater Magister Iacobus Sprenger. prior colon. et vicarius provincie. qui et capitulo prefuit.

Anno domini 1489. vicesima secunda die mensis augusti. que fuit octava Assumpcionis beatissime virginis Marie. fuit reformatum Monasterium hic in Civitate Canonicorum ordinis beati patris et excellentissimi doctoris sancti Augustini.

Anno domini 1490. In festo Assumpcionis virginis gloriose. fuit celebratum Capitulum provinciale in Wormatia. sub Reverendo patre sacre theologie clarissimo professore fratre Iacobo Sprenger provinciali. in quo et Reverendus pater frater Petrus Syber sacre theologie baccalarius gloriose respondit. sub eximio sacre theologie professore. patre Theoderico de Syestern. insignis conventus coloniensis dignissimo regente·

Anno 1491. in festo Pentecostes. fuit capitulum generale in conventu Zenomanensi provincie Francie celebratum. sub Magistro Ioachino Turriano veneto: in quo multe ordinaciones per tria capitula confirmate sunt. Et fuit eodem anno quasi per totam Alemaniam inaudita frumentorum caristia. ita quod venderetur ain ymmi siliginis pro quatuor lb' H. spelte pro v. avene pro i. lb' et v aut vi ss. in Ulma (1). Eodem anno ipsa die Augustini episcopi. intravit Ulmam serenissimus rex Romanorum Maximilianus. et fuit rumor magnus de guerris.

---

(1) Idest: ita quod venderetur unus « ymmi » siliginis pro quatuor libris hallensibus; spelte pro quinque, avene pro una libra et quinque aut sex solidis in Ulma.

Item ipsa die Nativitatis beatissime virginis Marie serenissimus dñus rex audivit officium misse in choro conventus nostri. quod quidem cantavit in pontificalibus Reverendus in Christo pater et dominus Mathias episcopus Seckofiensis dictus quondam vulgari nomine pfaff Schitt. Resonabant autem organa et cantores dñi regis. omniaque cum splendore permagnifico agebantur. Unde meritis ac intercessionibus intemeratissime matris [Dei] dirigantur eius omnia negotia ad prosperitatem et pacem. Amen.

Anno 1493°. fuit celebratum Aquisgrani capitulum provinciale. in festo Assumpcionis virginis gloriose. sub Reverendo p. Magistro Iacobo Sprenger. In quo presidenciam (1) habuit Reverendus p. Magister Petrus Syber. et frater Magnus Vetter respondit. ambo conventus ulm. In eodem capitulo dictus Magister Petrus. actu prior heydelbergensis. fuit electus in diffinitorem generalis capituli. frater vero Heinricus Fuchs dicti conventus ulm. per patres conventuum reformatorum missus ad R.$^{m}$ ordinis magistrum. quem Veneciis reperit. et votive rediit secunda octobris.

Anno 1·4·94. In festo Pentecostes fuit capitulum generale in conventu ferrariensi provincie sancti Dominici celebratum. sub eodem Magistro Ioachino. In quo fuit Reverendus magister Petrus Syber conventus ulmensis diffinitor. frater vero Magnus Vet[t]er prefati conventus pro anno primo ad legendum sentencias pro gradu et forma magisterii. et secundo pro magistro studencium coloniensi studio assignatus.

Anno 1495°. fuit celebratum capitulum provinciale Dominica Iubilate. sub Reverendo p. Magistro Iacobo Sprenger: in conventu Baubenbergensi. in quo et frater Magnus Vetter sacre theologie baccalaureus fuit assignatus in Magistrum studencium conventui Coloniensi.

---

(1) Id est: presidentiam habuit eorum qui, pro more Ordinis, de re Theologica solemniter disputaverunt.

Anno 1496. defuncto Reverendo p. Magistro Iacobo Sprenger provinçiali. vi$^{a}$. die decembris. que fuit festum S. Nicolai. Argentine apud Sorores monasterii ordinis dicti Ad S. Nicolaum in Undis. ubi quiescit in choro Sororum. successit eidem in vicariatu provincie Reverendus p. et magister Pater Ludowicus Fuchs. actu prior conventus ulmensis.

Qui. post patrum aliquorum convocacionem in Essling. eorum consilio pro arduis provincie negociis misit ad magistrum Reverendissimum f. Heinricum Fuchs. quem Florentie reperit. et ex speciali favore ad R. magistrum Ludowicum predictum. eidem et provincie quedam singularia graciose concessit.

Anno quo supra. ipsa die S. Bartholomei. fuit celebratum capitulum provinciale in conventu ulmensi presidente predicto generali vicario provincie Reverendo p. et Magistro Ludowico Fuchs. Et primo electis diffinitoribus Reverendis p. Udalrico Zehentter. Petro Syber sacre theologie professoribus, Servatio Fanckel sacre theologie licenciato priore Colon. et Iohanne Wilnaw sacre theologie lectore priore franckfordensi, electus fuit in provincialem summa concordia Reverendus magister et pater Udalricus Zehentter actu regens tunc. et ordinarius facultatis theologice alme universitatis wiennensis. Et nuncii confirmacionis expositi per patres fuerunt fratres Heinricus Fuchs et Iohannes Welling de conventu Stugardiensi. Qui generalem ordinis Rome in conventu nostro invenientes super Minervam. a sua Reverendissima paternitate confirmacionem ipsam et alia multa favorabiliter obtinuerunt, votiveque ac prosperitate mirabili redierunt xii$^{a}$ die novembris. Erat tunc turbatio maxima pontificis contra illos de Ursinis. et communitatum Tuscie maxime Petri de Medicis contra Florentinos. auraque gravis. Sani tamen et illesi. domino nostro Ihesu Christo miserante. ac letissimi pericula omnia evaserunt. Laus P[atri] et F[ilio] et S[piritui] s[ancto].

---

29) *Ad marg.:* Alexandri huius nominis sexti.

Preerat tunc communitati ulm. Magistrique civium officio fungebatur prudens. providus. facundissimusque dños Iohannes Echinger. actu conventus ulm. tutor. qui adeo fideliter ac eleganter apud dños de consolatu negocia conventus promovit. ut eorum mandato. eorum impensis pene totus conventus renovaretur. notabilemque pro capituli subsidio elemosynam largirentur. Quod eciam prelati et monasteria utriusque sexus. ac communitates viciniores. villanique. corde bono et animo volenti. liberalissime fecerunt. Reddat illis omnipotens centuplum in presenti et vitam eternam. Amen.

# CHRONICON PETRI DE ARENYS

# FRATRIS PETRI DE ARENYS

## CHRONICON ORDINIS PRAEDICATORUM

---

In nomine Domini nostri Iesu Christi
pauperis crucifixi natzareni.

Anno ab incarnatione Domini ·m°·ccc°·xlix°· decima die mensis decembris ego frater Petrus de Arenys sum et fui natus. Et eodem mense in sequenti festivitate natalis Domini, dum dicebatur matutinum natalis, interfectus fuit abbas sancti Cucuphatis in sua ecclesia propria (1). Et etiam eodem mense natus est rex Iohannes primogenitus domini regis Petri iv$^{i}$· in die beati Iohannis evangeliste in castro Perpiniani; ideo vocatus est Iohannes. Ratione cuius nativitatis dictus dominus rex Petrus instituit et ordinavit, quod amodo non computaretur in toto regno Aragonie ab incarnatione Domini, sed anno a nativitate domini (2). Et illo anno fuit inchoatum anno a nativitate domini ·m°·ccc°·l°· incipiente illo anno ·l·

---

(1) Abbas S. Cucuphatis interfectus est anno 1351 a Berengario de Saltells. En eius epitaphium in dicta ecclesia: « Hic iacet Reverendus in Christo Pater D. Arnaldus Raymundus de Biure, Abbas Sancti Cucuphatis, qui peremptus fuit in ecclesia, sicut verus catholicus in nocte, quando ibi Christi Nativitas colebatur, pro defensione Coenobii praelibati, anno Domini MCCCLI, cuius anima requiescat in pace. Amen ». Cf. *Memorias Historicas del Real Monasterio de San Cucufate del Valles* por S. Benito de Moxo y de Francoli. Barcelona 1790 p. 54 sqq.

(2) Petrus rex Aragoniae, huius nominis quartus, pro Barchinona vero tertius, anno 1350 Dec. 15 legem promulgavit, qua stilum incarnationis, ut dicunt, in stilum nativitatis mutavit. Eius filius primogenitus Iohannes nascitur 1350 Dec. 27. Unde corrigas, quae auctor noster de ratione mutationis incipiendi annum minus recte tradit. Cf. De Bofarull y Mascaró *Los Condes de Barcelona Vindicados* Tom. II. Barcelona 1836 pag. 271, 276.

Anno a nativitate domini ·m°·ccc°·lx°· secundo, ix. die octobris, et fuit festum sancti Dionisii sociorumque eius martirum, in die dominicali intravi sanctum ordinem predicatorum in Barchinona. Et recepit me ad ordinem fr. Petrus Iacobi de conventu Castilionensi, tunc prior, ante altare maius in choro, et habebam in etate xii. annos et ix. menses et xxix. dies. Et in decembri sequenti x. die habui xiii. annos completos. Et isto anno fuit celebratum capitulum generale a Farrara(!) per magistrum Simonem Lingonis ordinis magistrum. Et absolvit fratrem Iohannem Gomir magistrum (1) de conventu Castilionensi ab officio provincialatus Aragonie et fecit vicarium provincie fratrem N. Eymerici magistrum (2). Et illo anno fuerunt in provincia Aragonie duo capitula provincialia in Valencia, unum celebravit frater M. B. Ermengaudi magister (3) in festo beati Luce, et aliud frater N. Eymerici magister in festo sancti Martini, utrumque in Valencia.

Anno Domini ·m°·ccc°·lx°· tertio fuit annus noviciatus. Et isto anno, revoluto anno ab ingressu ordinis, in mense octobris feci professionem sub manibus dicti prioris fratris Petri Iacobi. Et capitulum provinciale fuit celebratum Cesaraugustae in festo sancti Luce per fratrem Iacobum Dominici magistrum de provincia Provincie (4). Nam hic frater Iacobus propter magnam divisionem provincie fuit factus provincialis Aragonie per papam. Et istud fuit primum capitulum, quod ipse tenuit. Et in isto absolvit dictum fratrem Petrum Iacobi a prioratu Barchinonensi.

Anno Domini ·m°·ccc°·lx°· quarto remansi professus novus

(1) De quo cf. DENIFLE *Archiv II,* 225 (n. 147). DIAGO *Historia de la Provincia de Aragon de la Orden de Predicadores.* Barcelona MDXCVIIII pag. 45.

(2) De Nicolao Eymerici cf. DIAGO l. c. p. 46, 226; SSOP. I, 709; DENIFLE l. c. I, 143; *Chartularium* II, 141, 142; EUBEL *Die avign. Obedienz der Mendikantenorden etc.* n. 226, 603.

(3) De Bernardo Ermengaudi cf. DIAGO l. c. pag. 54; DENIFLE *Archiv* II, 225, *Chartularium* III, n. 1231; SSOP. I, 688.

(4) De Iacobo Dominici cf. DIAGO l. c. pag. 52; SSOP. I. 662.

in Barchinona et frater Franciscus Mar[man]di legebat mihi metaphysicam.

Et capitulum provinciale fuit celebratum in Barch[inona] et frater Bernardus de Montanyana (1) et Bartholomeus Stivill cum magistro Dione bñ sro (?) fuerunt diffinitores. Et istud fuit secundum capitulum provinciale dicti provincialis.

Anno Domini ·m°·ccc°·lx°· quinto capitulum provinciale fuit celebratum Stelle; fui assignatus Barchinone ad audiendam logicam in primo anno. Et fuit magister meus frater Miquell Rourich (2). Et istud fuit tertium capitulum provinciale dicti provincialis.

Anno Domini ·m°·ccc°·lx°· sexto capitulum provinciale fuit celebratum Gerunde; fui assignatus Mayoricas ad audiendam logicam in secundo anno. Et fuit magister meus fr. Iacobus Uchman Mayoricensis. Et istud fuit quartum capitulum provinciale dicti provincialis.

Anno Domini ·m°·ccc°·lx°· septimo capitulum provinciale fuit celebratum Osce. Fui assignatus Barchinonam ad audiendam logicam in tertio anno. Et fuit magister meus frater Guillelmus de Casademunt de conventu Gerundensi. Et istud fuit ultimum capitulum provinciale dicti provincialis. Et in isto capitulo venit ut vicarius magister Hugo de Verduno de provincia Tholosana ad electionem faciendam de provinciali. Nam dictus provincialis celebrato capitulo suam legit litteram absolutionis. Et in finalibus fratres ibidem congregati elegerunt in provincialem unanimiter et concorditer fratrem Mathiam Barthò (3) tunc priorem Barchinonensem. Et miserunt pro confirmatione ad magistrum ordinis fratrem Heliam Ray^di^ (4) magistrum, iam tunc magistrum ordinis, bene tres

2) metaphysicam] metilicaturam *cod.*

(1) De Bernardo de Montanyana cf. Diago l. c. pag. 53.
(2) Loco « Rourich » alibi et « Rausich » legitur.
(3) De Mathia Barthò *sive* Bartholò cf. Diago l. c. pag. 54.
(4) De Elia Raymundi cf. supra pag. 26; MOPH. IV, 337; Denifle *Chartula-*

erant vel quatuor anni. Et erat de provincia Tholosana et isto anno fuit capitulum generale celebratum Tholose (1). Et translatio facta beati Thome.

Anno Domini ·m°·ccc°·lx°· octavo capitulum provinciale fuit celebratum Terrachone per dictum fratrem Mathiam provincialem et solum istud capitulum celebravit. Fui assignatus Ilerde ad audiendam logicam in quarto anno. Et fuit magister meus fr. B. Cavilla, et diffinitor capituli generalis fr. B. Ermengaudi magister (2); et isto anno fuit celebratum capitulum generale Brugis (3). Et fratres Matheus de Bementaja (4) Terrachonensis et Gabriel Rebe Mayoricensis iverunt ad istud generale capitulum contra dictum Mathiam provincialem. Et in isto capitulo dictus frater Mathias provincialis Aragonie fuit absolutus ab officio provincialatus et frater Franciscus Marmandi erat prior Barchinonensis. Et per capitulum generale factus fuit vicarius provincie frater Petrus de Custibus, quousque dictus magister B. esset presens in provincia. Et sub isto magistro ordinis istud capitulum generale ordinavit, quod capitulum celebraretur de biennio in biennium.

Anno Domini ·m°·ccc°·lx°· nono capitulum provinciale fuit celebratum Barchinone et in principio capituli electus est unanimiter et concorditer in provincialem Aragonie fr. B. Ermengaudi magister et tenuit ut vicarius provincie istud capitulum. Et confirmatur per dictum magistrum Heliam. Et fui assignatus Barchinone ad audiendam logicam in quinto anno. Et fuit magister meus frater Iohannes de Gonrjo (5) Barchinonensis.

---

*rium* II, 659, III, n. 1580; Eubel l. c. nn. 18, 27, 28, 185, 187, 266, 302, 306, 346, 424, 617, 639; SSOP. I, 660.

(1) Non « Tholosae », sed « Avinione » hoc anno celebrabatur capitulum generale. Cf. MOPH. IV, 409.

(2) De quo cf. supra pag. 52 l. 14.

(3) Errat auctor noster scribendo capitulum generale celebratum esse Brugis a. 1368; nam constat cap. esse celebratum ibidem a. 1369; cf. MOPH. IV, pag. 410.

(4) Videtur esse idem ac Matthaeus de Benencasa, de quo pluries in actis capitulorum provincialium prov. Aragoniae.

(5) Loco « Gonrjo » in iisdem actis « Guezio » legitur.

Anno Domini ·m$^{o}$·ccc$^{o}$·lxx$^{o}$· capitulum generale simul cum provinciali fuit celebratum Valentie per dictum magistrum H. et per provincialem magistrum B.; fui assignatus Valentie ad audiendum naturalia in primo anno. Et fuit magister meus frater Michaell (!) Rourich.

Anno Domini ·m$^{o}$·ccc$^{o}$·lxx$^{o}$· primo capitulum provinciale fuit celebratum in loco sancti Mathei et conventus noviter receptus sub nomine conventus; fui assignatus Barchinone ad audiendum naturalia in secundo anno; et fuit magister meus frater Miquell Rourich. Et statim post capitulum celebravi meam missam novam in festo omnium sanctorum et predicavit magister B. provincialis.

Anno Domini ·m$^{o}$·ccc$^{o}$·lxx$^{o}$· secundo capitulum provinciale fuit celebratum Cesarauguste in festo beati Luce per dictum provincialem magistrum B. Legi logicam in conventu Terrachone et lector ibidem frater Dominicus Serrati.

Anno Domini ·m$^{o}$·ccc$^{o}$·lxx$^{o}$· tertio capitulum provinciale fuit celebratum Cerverie in festo sancti Augustini per dictum provincialem. Legi logicam in conventu Valentino et lector ibidem dictus frater Dominicus Serrati.

Anno Domini ·m$^{o}$·ccc$^{o}$·lxx$^{o}$· quarto capitulum provinciale fuit celebratum Pampilone in festo nativitatis beate virginis per dictum provincialem. Fui studens Barchinone in primo anno.

Anno Domini ·m$^{o}$·ccc$^{o}$·lxx$^{o}$· quinto capitulum provinciale fuit celebratum Minorisse in festo santi Miqelis (!) per dictum provincialem. Fui studens Barchinone in secundo anno.

Anno Domini ·m$^{o}$·ccc$^{o}$·lxx$^{o}$· sexto capitulum provinciale fuit celebratum Calatajubii in festo santi Miquelis (!) per dictum provincialem. Fui factus magister naturarum in conventu Valentino in primo anno.

Anno Domini ·m$^{o}$·ccc$^{o}$·lxx$^{o}$· septimo capitulum provinciale fuit celebratum Balagarii in festo santi Miqelis per dictum provincialem. Fui factus magister naturarum Barchinone in secundo anno (naturarum). Et isto eodem anno post festum

pasce cum predicto provinciali ivi ad capitulum generale apud Carcassonam celebratum (1) per magistrum H. Ray$^{di}$. Et statim post capitulum ivi Tholosam pro studente. Et istud capitulum generale fuit ultimum capitulum unitum ordinis. Et tenuit dictus magister H. Nam dominus papa Gregorius mortuus est in Roma et cardinales fecerunt duas electiones: elegerunt primo Urbanum et postea dominum Clementem septimum (2). Et in isto capitulo generali appellavit a magistro ordinis frater Thomas de Basalascho (3) provincialis Lombardie Ianuensis. Et ego recessi de Barchinona cum dicto provinciali in die sancti Urbani pape et martiris. Et maiores provincie fere omnes iverunt ad istud generale capitulum contra provincialem pro absolutione, set nil fecerunt.

Anno Domini ·m°· ccc°· lxx°· octavo capitulum provinciale fuit celebratum Osce in festo nativitatis beate virginis per dictum provincialem. Non eram in provincia, set Tholose studens. Et in isto capitulo fui assignatus Parisiis pro nacione Navarre pro presenti anno. Et recessi de Tholosa pro studio Parisiensi in vigilia beati Luce. Et xix. die mensis iunii intravi Barchinonam et remansi ibidem usque ad sequens provinciale capitulum. Et fugerunt de isto capitulo fratres Petrus Marchi magister et B. Saguarra licenciatus.

Anno Domini ·m°· ccc°· lxx°· nono capitulum provinciale fuit celebratum Xative in festo santi Miqelis per magistrum Gombaldum de Vlugia (4) vicarium magistri ordinis, quia provincialis magister B. erat in Cesaraugusta graviter infirmatus. Ego fui factus lector Terrachone. Magister dictus ordinis erat in Barchinona cum domino cardinali de Luna legato

---

(1) Celebratum anno 1378, non 1377, ut auctor tradit. MOPH. IV, p. 441 sqq.

(2) Qua de re cf. supra p. 26.

(3) Loco « Basalascho » legas « Cassasco » vel « Cassato » aut « Clarasco ». Laudatus Thomas 1382 Maii 30 creatur cardinalis tit. S. Sabinae; obiit Avin. 1390 Iunii 27; cf. EUBEL *Hierarchia* p. 26 et A ROVETTA DE BRIXIA *Bibliotheca chronologica illustrium virorum provinciae Lombardiae Ord. Praed.* Bononiae 1691, p. 57.

(4) De Gombaldo de Vlugia cf. DIAGO l. c. p. 57; EUBEL *Die avign. Obedienz.* etc. n. 243.

domini Clementis pape propter scisma ecclesie. Et istud fuit ultimum capitulum unitum in provincia; nam Aragonenses et Navarri a natione Cathalonie postea fuerunt divisi. Et isto anno fuit capitulum generale celebratum in Lausana (1), in quo absolvit (!) magistrum (!) B. a provincialatu.

Anno Domini ·m°·ccc°· octuagesimo capitulum provinciale fuit celebratum Barchinone per dictum magistrum B. priorem provincialem in festo santi Miqelis. Fui factus biblicus Barchinonensis. Et in isto capitulo fuerunt diffinitores fratres B. Cunilli, Franciscus Marmandi, Petrus Marchi, Ioannes de Barbarano, omnes de natione Cathalonie, eo quia dominus rex Petrus fuit et erat indifferens in facto ecclesie. Et isto anno propter societatem appellaverunt a priore Barchinonensi fratre Mathia Barthò fratres B. de Colle, Anthonius Ginebreda (2), Miqel Rourich, Petrus de Arenys. Et tandem frater B. de Colle obtinuit contra fratrem Petrum Albi de Malatestis. Et dicti diffinitores solum scilicet Franciscus, Petrus et Iohannes suspenderunt dictum provincialem ab officio, set modicum valuit.

Anno Domini ·m°·ccc°·lxxx°· primo capitulum provinciale fuit celebratum Ilerde in festo nativitatis beate virginis per dictum magistrum Bernardum. Fui factus magister studencium Barchinone. Et isto anno ego ivi Valentiam post festum Epiphanie, eo quia dictus provincialis diviserat annum meum et tandem obtinui totum annum. Et postquam veni, reperi mortuum dominum patrem meum, qui mortuus est in fine mensis ianuarii.

Anno Domini ·m°·ccc°·lxxx°· secundo capitulum provinciale fuit celebratum Valencie in festo santi Iohannis baptiste per dictum magistrum Bernardum. Fui factus sublector Bar-

---

(1) Capitulum generale cel. Lausannae anno 1380, non 1379, ut refert auctor noster.

(2) De Antonio de Ginebreda cf. Torres Amat *Escritores Catalanes* Barcelona 1836, p. 283, 295. Addendus est Scriptoribus Ordinis. Transtulit in linguam vulgarem Boetium *de Consolatione*. Cuius libri conversi exemplar hodie asservatur in bibliotheca universitatis Barcinonensis sig. n. 21-2-23; cf. Denifle l. c. n. 1594.

chinone; et in isto capitulo predicavi in latino, et erat prior Barchinone frater Dominicus Martini Terrachonensis. Et isto anno fratres Franciscus Marmandi magister et ego ultima augusti recessimus de Barchinona eundo Valentiam ad dictum provincialem, ut celebraret capitulum, quod et fecit.

Anno Domini · m°· ccc°· lxxx°· tercio capitulum provinciale fuit celebratum Ilerde in festo beati Luce per dictum magistrum Bernardum; fui factus lector Ilerdensis; et in crastinum fui electus in priorem dicti conventus, et statim per provincialem supradictum confirmatus in capitulo coram toto conventu. Et in isto capitulo fui socius prioris contra fratrem Stephanum Miquelis.

Anno Domini · m°· ccc°· lxxx°· quarto capitulum provinciale fuit celebratum Ilerde in festo beati Luce per dictum provincialem. Et ego eram prior dicti conventus et tenui dictum capitulum; et fui diffinitor et predicator generalis. Et post capitulum ad patres magistros legi litteram absolucionis · xxiiii · novembris et fui in Barchinona dominica quarta adventus; fuit festum natalis domini in dominica die. Et remansi in Barchinona. Et erat prior Barchinone frater B. Castelleti magister.

Anno Domini · m°· ccc°· lxxx°· quinto capitulum provinciale fuit celebratum Terrachone in festo santi (!) Luce per dictum provincialem aliqualiter infirmum. Et recessi de capitulo cum fratribus G. de Calderiis, Petro Felicis (1) in die beati Luce. Et erat prior Barchinone dictus frater Castelletus. Et isto anno recessi de Barchinona penultima die julii, et ivi Bononiam. Et ibi legi sentencias in collegio Santi Pauli.

Anno Domini · m°· ccc°· lxxx°· sexto capitulum provinciale fuit celebratum in santo Matheo et in festo eiusdem per dictum magistrum B. provincialem. Et istud fuit ultimum capitulum provinciale suum. Nam mortuus est in fine mensis januarii in Tarrachone veniendo de Valencia.

---

(1) De Petro Felicis cf. Eubel l. c. nn. 603, 753.

Et dominus rex Petrus mortuus est in primo eiusdem mensis januarii.

Et per totum istum annum fui in Bononia legendo sentencias.

Et post obitum dicti magistri B. provincialis fuit vicarius provincie frater Martinus Gruyoll per magistrum H. ordinis magistrum. Et isto anno ante capitulum mortua est domina mater mea in mense madii in vigilia invencionis sante crucis. Et erat prior Barchinone dictus Castelletus. Et dominus cardinalis de Luna erat in Barchinona ut legatus domini pape Clementis septimi.

Anno Domini ·m°·ccc°·lxxx°· septimo capitulum provinciale fuit celebratum Barchinone in festo pentecostes per fratrem Martinum Gruyoll provincie vicarium; et fuit electio provincialis cum magna divisione. Nam fuerunt duo electi: magister Petrus Corregerii (1) et habuit ·xlii· voces. Et magister Iohannes Montesono (2) et habuit triginta voces. Et dictus dominus cardinalis erat in Barchinona. Et pars dicti magistri Iohannis appellavit ad papam. Et post magnum processum obtinuit dictus magister Petrus. Et fuit confirmatus ·xxii· octobris sequentis per magistrum Petrum Borroni (3) procuratorem ordinis. Et vicarius provincie excepit dictum magistrum ordinis. Et erat prior Barchinone dictus Castelletus. Et isto anno intravi provinciam in mense augusti in vigilia santi Augustini. Et remansi in Barchinona. Et in isto capitulo iterum naciones Aragonie et Navarre fuerunt unite cum natione Cathalonie.

Anno Domini ·m°·ccc°·lxxx°· octavo capitulum provinciale fuit celebratum Gerunde in die nativitatis virginis glo-

(1) De Petro Corregerii cf. Diago l. c. p. 58; Denifle l. c. n. 1594, 663; Eubel l. c. n. 603, 798, 978.

(2) De Johanne de Montesono cf. Denifle l. c. indicem et III, 1781; Eubel l. c. n. 245, 601, 622.

(3) De Petro Borroni cf. Denifle l. c. indicem; Eubel l. c. n. 233, 519, 617, 707.

riose per magistrum Petrum Corregerii novum provincialem. Et istud fuit primum capitulum suum. Et remansi in Barchinona. Et in capitulo isto fuit absolutus dictus Castelletus et post capitulum electus in priorem cum magna controversia frater Stephanus Miquel.

Anno Domini ·m°· ccc°· lxxx°· nono capitulum provinciale fuit celebratum in sede Urgelli per dictum provincialem. Et fuit secundum capitulum. Remansi in Barchinona. Et in isto capitulo fuit absolutus frater Stephanus Miquel et factus lector Barchinone. Et post capitulum ego veni de Castella, et reperi iam priorem novum electum et confirmatum fr. Petrum Felicis lectorem redit (?) Et isto anno mortuus est in mense ianuarii magister ordinis frater H. R. (1). Et quia capitulum generale erat assignatum Cesarauguste, factus est vicarius ordinis dictus provincialis. Et isto anno non fuit capitulum generale.

Anno Domini ·m°· ccc°· nonagesimo capitulum provinciale fuit celebratum Minorisse dominica ante festum Luce, que fuit illo anno ·xx· post festum trinitatis, per dictum provincialem et ordinis vicarium generalem. Et fuit suum tertium capitulum. Et remansi in Barchinona. Et in isto capitulo fuit absolutus frater Petrus Felicis. Et post capitulum electus in priorem et confirmatus frater Anthonius Ginebreda. — Est notandum, quod isto anno recessi de Barchinona in die beate Katerine et ivi Avinionem pro meo magisterio (2). Et fui examinatus sub domino episcopo Elnensi ·xvii· decembris. Et inde recessi et fui licenciatus in Perpiniano secunda die ianuarii [1391]; et feria quinta sequenti, que fuit quinta ianuarii, feci meam aulam in ecclesia sancti Iohannis: totum in dicta villa Perpiniani. Ad laudem domini et honorem ordinis mei laudetur deus in secula benedictus. Et fui in Barchinona in die santi Antonii abbatis et confessoris hoc est ·xvii· ianuarii, inchoante anno domini ·m°· ccc°· nonagesimo primo. Item fui

(1) De morte Eliae Raymundi cf. supra p. 27.

(2) De magisterio Petri de Arenys cf. Eubel l. c. n. 519.

factus magister in theologia formatus anno domini ·m°·ccc°· nonagesimo primo inchoante, habebam in etate ·xl· et unum annum et incipiebam secundum, in ordine vero ·xxviii· annos, et tantum plus quantum est a ·ix· octobris festum santi Dionisii usque ad secundam diem sequentis mensis januarii, in qua fui licenciatus.

Isti erant tunc magistri in theologia formati in provincia:

Frater N. Eymerici magister.
Frater Petrus Corregerii magister.
Frater Anthonius Folqueti magister.
Frater Bartholomeus Gassoni magister.
Frater Franciscus Marmandi magister.
Frater Iohannes de Montesono magister.
Frater Petrus de Guillis magister (1).
Frater Petrus Baguarii magister.
Frater Bernardus Castelletus magister.
Frater Vincentius Ferrerii magister (2).
Frater Miquel de Podio magister.
Frater G. Cauila magister.
Frater Petrus de Arenys magister.

Et isto anno erat prior Barchinone frater Anthonius Ginebreda. Et dictus provincialis statim post adventum meum de Avenione recessit usque curiam. Et dimisit vicarium provincie magistrum Bernardum Castelleti, qui submersus est in mari, dum iret Maioricas; et fratres Paulus Ferrenti, Iohannes Gassoll Maioricensis et Alfonsus Sancii Valentinus in quadragesima omnes submersi sunt.

Anno Domini ·m°·ccc°· nonagesimo primo capitulum provinciale fuit celebratum Cesarauguste simul cum generali capitulo. Et quia provincialis Aragonie, qui erat vicarius ordinis, erat infirmus in Barchinona, ideo omnes electores fecerunt vicarium et instituerunt fratrem N. Eymerici magi-

(1) De Petro de Cuillis (Eubel Guils) cf. l. c. n. 243.
(2) De s. Vincentio Ferrerii cf. infra p. 81; Eubel l. c. 1291, 1293.

strum; et dictus provincialis fecit vicarium ad celebrandum provinciale [capitulum] fratrem Petrum Baguerii magistrum. Et in ista electione magistri fuit magna divisio: electus fuit in magistrum ordinis frater N. de Troya (1), et habuit ·xii· voces; electus eciam fuit provincialis Yspanie frater Nicholaus Vallisholetanus (2) et habuit octo. Et non obstantibus bullis papalibus domini Clementis septimi, qui erat in favorem dicti provincialis Yspanie, dictus magister N. (3) obtinuit magisterium et fuit magister. Et in isto capitulo factus magister in theologia frater Petrus Felicis. Isto anno ego remansi in Barchinona. Et istud capitulum fuit quartum celebratum sub nomine provincialis. Et post istud capitulum in mense septembri sequenti dictus provincialis ivit Maioricas, et dimisit vicarium provincie fratrem Franciscum Marmandi magistrum. Et de mandato dicti provincialis dictus vicarius dedit mihi cameram et in nocte beati Miquaelis iacui in eadem. Et in isto capitulo absolutus fuit per literam dictus prior frater Anthonius; et cum divisione electus et in augusto sequenti confirmatus frater Miquell Rourich licenciatus.

Anno Domini ·m°·ccc°· nonagesimo secundo capitulum provinciale fuit celebratum Pampilone in festo nativitatis beate Marie per dictum provincialem. Et istud fuit quintum sui provincialatus. Remansi in Barchinona. Et erat prior Barchinonensis dictus frater Miquell Rourich, nunc magister. Et isto anno mortuus est dictus magister ordinis frater N. de Troya in Avenione et venerat noviter de Parisiis nec capitulum aliquod celebravit. Et remansit vicarius ordinis provincialis Provincie, eo quia capitulum generale erat assignatum Narbone in provincia sua.

Anno Domini ·m°·ccc°· nonagesimo tertio capitulum provinciale fuit celebratum Cervariae in festo nativitatis beate Marie per dictum provincialem; et istud sextum. Remansi

---

(1) De Nicolao de Troia cf. SSOP. I, 702; Eubel l. c. n. 603.
(2) De Nicolao de Valleoleti cf. SSOP. I, 706; Eubel l. c. 667, 794, 922.
(3) N. intelligas N. de Troia.

in Barchinona; et erat prior Barchinonensis supradictus frater [Miquel]. Et in isto capitulo factus est diffinitor capituli generalis frater Franciscus Marmandi magister. Et fui positus pro visitatore in regno Valentino. Et dum dictus provincialis tenebat capitulum, dictus vicarius ordinis venit Barchinonam. Et ego statim ivi Cervariam cum magistro Bartholomeo Gassoni; et ibi steti solum per unam noctem. Isto eciam anno mortuus est dictus magister Franciscus et non diffinivit, sabbato sancto de mane ante primam, quod erat ·xviii· aprilis anni predicti. Notandum, quod, dum eram in visitatione, habui nova certa, quod dominus papa Clemens migraverat ad dominum (1). Et isto anno fuit celebratum capitulum generale Narbone (2), in quo fuit electus in magistrum ordinis frater N. Vallisoletanus provincialis Ispanie.

Anno domini ·m°· ccc°· nonagesimo quarto capitulum provinciale fuit celebratum Osce in festo santi Miquelis per dictum provincialem et istud fuit septimum; fuerunt diffinitores fratres Petrus de Turo magister (3), Iohannes Lombardi (4) prior Xative, Eximinius de Navara, Sanctius de Osca. In isto capitulo interfui ut visitator. Dum autem celebraretur capitulum, habuimus certa nova, quod dominus cardinalis de Luna erat noviter creatus in papam, qui dictus est Benedictus ·xiii· (5). In isto capitulo factus fui lector Barchinonensis et iterum predicator generalis. In isto eciam capitulo absolutus est in actis ab officio prioratus dictus magister Miquel prior. Est post capitulum electus cum magna controversia et maxima divisione et bene pessima frater Petrus de Fonteluporum Terra-

---

(1) Obiit Clemens VII. 1394 Sept. 16.

(2) Capitulum cel. a. 1394 Narbonae; unde corrigas, quae Petrus noster de anno mortis Clementis et Nicolai de Valleoleti electionis scribit.

(3) De Petro Turo cf. EUBEL l. c. n. 977.

(4) De Ioanne Lombardi ibid. n. 885, 1024, 1199.

(5) Petrus de Luna el. Avinione 1394 Sept. 28.

chonensis (1). Et confirmatus in priorem Barchinonensem in sequenti decembri in vigilia vigilie nativitatis domini.

Anno Domini ·m°·ccc°· nonagesimo quinto capitulum provinciale fuit celebratum Castilione Empuriarum in festo nativitatis beate Marie per dictum provincialem, qui venerat noviter de curia. Et istud fuit octavum. Fuerunt diffinitores fratres Miquell de Podio Gerundensis magister, Petrus Bolea Valentinus, prior Castilionensis, Martinus Gruyoll, Sanctius de Urries, qui mortuus est immediate post capitulum in conventu Cesaraugustano. In isto capitulo interfui ut predicator generalis. Et erat prior Barchinonensis fr. Petrus supradictus. Et fuit lector Barchinone frater A. de Casis. Et remansi in Barchinona. Et in isto capitulo fuit factus diffinitor capituli generalis frater Exemenius de Navara, inquisitor de conventu Osce, quia ad nationem Aragonie pertinebat diffinitio.

Et isto anno [1396] celebravit missam novam frater Dominicus Cappellerii socius meus dominica quarta in quadragesima et erat infra octavas beati Thome; et ista dominica fuit festum beati Gregorii et fuit festum beati Thome in die ·vii· martii. Et predicavit dictum sacerdotem frater Petrus Corregerii magister et prior provincialis. Et dicta dominica quadragesime fuit ·xii· martii et festum pasche secunda aprilis. — Et notandum, quod ·xix· die madii, que fuit vigilia vigilie pentecostes et festum sante Potentiane virginis, mortuus est dominus rex Iohannes post meridiem inter primam et secundam horam in nemore loci de Fuxenempurda (2) et hoc subito sine confessione, et pertransitis multis diebus fuit suum corpus portatum sollempniter Barchinonam ·xxviii· die eiusdem madii in sero et fuit positum in ecclesia sante Eulalie Descamps per totam noctem; et erat dies dominicalis festum sante trinitatis; et in crastinum ·xxix· eiusdem mensis cum magna pluvia de

(1) De Petro de Fonteluporum cf. Diago l. c. pag. 59; SSOP. I, 753; Eubel l. c. n. 1346.

(2) Foixá locus, qui non longe distat a Torruella de Mongri.

mane introduxerunt Barchinonam et posuerunt eum cum magno honore in palatio antiquo regis; et in altero crastino sequenti ·xxx· mensis prefati de mane fuit traditum sepulture cum magno honore et cum magna processione. Et corpus fuit portatum per civitatem et fecerunt circulum corporis ·x· et sepelierunt eum in sede. Anima eius sit in gloria. Amen. Et iste regnavit novem annis et mensibus quinque (1).

Et isto anno fuit celebratum capitulum generale in Claromonte (2) de Alvernia de provincia Francie. Et in isto capitulo diffinivit frater Martinus Gruyoll de natione Aragonie, socius dicti fratris Exemenii de Navarra. Et istud secundum capitulum fuit generale, quod dictus magister celebravit. In quo fuit mota per priores provincie questio contra magistros super locum tenendo in capitulis provincialibus. Et nil fuit determinatum in sequenti provinciali capitulo.

Anno domini ·m°·ccc°· nonagesimo sexto capitulum provinciale fuit celebratum Sangosse in festo santi Miquelis (!) per dictum provincialem. Et istud fuit capitulum nonum. Fuerunt diffinitores frater Bernardus Cavila magister, Petrus de Fonteluporum prior Barchinonensis pro natione Cathalonie, frater Iohannes Conquabella pro natione Aragonie, pro natione vero Navarre frater Rodericus de Broca, prior Sangosse; prior idem qui supra, lector frater Miquel Rourich magister; et remansi in Barchinona. Et in crastinum beate Katerine legit litteram absolutionis dictus prior. Et electus in priorem cum discordia frater Petrus de Valleviridi (3) et confirmatus ·ii· februarii.

Notandum et bene notandum, quod illustrissimus dominus dominus rex Martinus rex novus Aragonie veniendo de Cicilia primo venit Avenionem ad papam per mare. Item fuit per mare in regno Arragonie ·xxii· madii in villa de Badalona iuxta Barchinonam, et intravit Barchinonam per mare

(1) De morte Johannis I. cf. Prospero de Bofarull y Mascaró l. c. p. 290.

(2) Capitulum gen. cel. Claromonte a. 1396; unde iterum corrigas auctorem. Cf. Eubel l. c. n. 825 et 839.

(3) De Petro Valleviridi cf. Eubel l. c. n. 954.

·xxvii· madii, que erat dominica quarta post octavam pasche cum magna solempnitate pariter et honore. Et civitas festivavit tribus diebus continuis et populus tripudiavit cum magna leticia et gaudio.—Et isto eodem anno |1397| ego feci fieri cameram meam novam et incepi eam sabbato dominice in passione, que fuit ·xiiii· aprilis et vigilia ramorum. Et ·xx· junii, que fuit vigilia corporis Christi, hora vesperorum fuit facta perfecta et completa. Et notandum, quod isto eodem anno ·xxiii· julii, que fuit festum santi Apollinaris martiris, de mane mutavi me totum et ad dormiendum in dicta mea camera nova; et ista die ante prandium dedi claves camere antique claustri secundi fratri Petro Piquerii vestiario. Decostitit autem mihi dicta mea camera septem milia florenorum (1).

Anno Domini ·m°·ccc°· nonagesimo septimo capitulum provinciale fuit celebratum Terrachone in festo nativitatis beate virginis gloriose per dictum provincialem. Et istud fuit capitulum suum decimum. Fuerunt diffinitores pro natione Cathalonie frater Bartholomeus Gassoni magister, Iohannes de Arbosario (2); pro natione Aragonie frater Petrus de Bordalva, pro natione vero Navarre frater Martinus de Turrerotunda. Prior conventus frater Petrus de Valleviridi, lector conventus frater Miquell Rourich magister. Et in isto capitulo factus fuit diffinitor capituli generalis in sequenti festo pentecostes celebrandi in provincia Tholosana in conventu Lemovicensi frater Bartholomeus Gassoni magister. Et remansi in Barchinona. Et in isto capitulo fui positus ad visitandos conventus Minorisse, Urgellensem, Cervariensem, Balagariensem, Ilerdensem.—Et isto anno |mortuus| est frater Nicholaus Vallisholetanus de conventu Vallisholetani Ispanus..... novembris anno domini ·m°·ccc°· nonagesimo septimo. Et isto anno non fuit capitulum generale. Isto eodem anno mortuus est frater Miquell Rourich magister et lector Barchinonensis ·ii· februarii

(1) Vix credibile!

(2) De Joanne Arbosario (Arboçar) cf. Eubel l. c. n. 1203.

anno domini ·mº·cccº· nonagesimo octavo inchoante; isto anno capitulum erat celebrandum in provincia Tholosana a Limoge. Item (isto) anno ·mº·cccº· nonagesimo octavo secunda die aprilis, que erat dies martis septimane sante mortuus est inclitus dominus Iohannes comes Empuriarum in castro de Castellvis de Rosannis (1) captus. Et stetit in dicto castro mortuus usque ad octo dies sequentis mensis madii; et nona die prefati madii fuit extractus et apportatus Barchinonam per filium suum dominum Petrum, et sepultus de nocte in monasterio predicatorum Barchinonensium; et sollempnitas dicti defuncti fuit facta in Barchinona decima madii, que erat dies veneris; et ·xi· que fuit dies sabbati et ·xii· que fuit dominica et quinta dominica post octavas pasche, et induravit per 3 dies continuos; et fuit tota civitas in conventu nostro. Anima eius requiescat in pace. Amen.

Anno Domini ·mº·cccº· nonagesimo octavo capitulum provinciale fuit celebratum Calatajubii in festo nativitatis virginis gloriose per dictum provincialem. Et istud fuit capitulum suum undecimum. Fuerunt diffinitores pro natione Cathalonie frater Petrus de Valleviridi, prior Barchinonensis, Bernardus Remirii prior Terrachone, pro natione Aragonie frater Franciscus de Villaregali prior Calatajubii, pro natione Navarre frater Iohannes Dorqueso. Item fuerunt facti electores magistri ordinis futuri fratres Petrus Baguerii magister et diffinitor generalis capituli, et pro natione Aragonie frater Sancius Porta (2) presentatus. Item ego visitaveram meam visitationem, ut supra, et veni Barchinonam quartanarius. Et in isto capitulo fuit absolutus dictus frater Petrus de Valleviridi; et statim post capitulum electus in priorem Barchinonensem frater Bernardus Carrera, prior Maioricensis. Et isto anno lector Barchinonensis frater Bernardus Artigulli, qui eciam fuit factus lector post mortem dicti magistri Miquell. — Et no-

(1) Castellví de Rosanes, locus qui distat a Barchinona circa 6 hor.

(2) De Sancio Porta sive de Porta cf. EUBEL l. c. nn. 269, 1037, 1056, 1073, 1113, 1131, 1203, 1227, 1235, 1274, 1283, 1326, 1331, 1344.

tandum, quod isto anno recessi de Barchinona eundo Cesaraugustam pro meo officio inquisitionis, quia eram comissarius.— Et fuit coronatus illustrissimus dominus rex Martinus dominica prima post octavam pasce dominica de « Ego sum pastor bonus », que fuit ·xiii· aprilis [1399], et fuerunt ibi multe et multe sollempnitates. Et fecit dictus dominus rex ducem novum de Gandia dominum Marchionem de Vilena. Et dictus dominus rex eciam fecit ·lxx· milites novos, et nullum fecit de Barchinona, et statim in die santi Georgii equestris, que fuit ·xxiii· dicti mensis aprilis, fuit coronata regina uxor sua domina Maria de Luna. Et ego fui in coronacione dicti domini regis et non regine.

Item isto anno fuit celebratum capitulum generale a Limocges de provincia Tholosana (1). Et fuerunt ibi dicti electores. Et provincialis fuit valde male agitatus de suo malo regimine per magistrum Anthonium de Canalibus (2), et tota provincia fuit commota. Et in isto capitulo generali fuit electus in magistrum magister Iohannes de Podionucis (3) de conventu Lemovicensi et de provincia Tholosana.

Anno Domini ·m°· ccc°· nonagesimo nono capitulum provinciale fuit celebratum Balagarii in festo santi Iohannis Baptiste per dictum provincialem. Et istud fuit capitulum suum duodecimum. Fuerunt diffinitores pro natione Cathalonie fratres Bartholomeus Gassoni, Anthonius de Podio magister, pro natione Aragonie frater Thomas de Serria, prior Cesaraugustanus, pro natione vero Navarre frater Iohannes Alamani. Et in isto capitulo provincialis agitavit, quantum potuit, magistros Anthonium de Canalibus et Anthonium Alberici tam in diffinitorio quam in capitulo provinciali, et fuerunt citati et noluerunt comparere. Et dictus frater Anthonius de Ca-

(1) Capitulum generale cel. Lemovicis 1399, non vero 1398, ut tradit auctor; proinde eum corrigas.

(2) De Antonio de Canalibus cf. SSOP. I, 707.

(3) De Joanne de Podionucis cf. SSOP. I, 708; Eubel l. c. nn. 872, 1113, 1125, 1173, 1212, 1299.

nalibus appellavit a provinciali; et dictus frater Anthonius Alberici tenebat conventum Ilerdensem, eo quia erat vicarius magistri ordinis novi, contra dictum provincialem. Et prior Barchinonensis frater B. Carrera, lector vero Barchinonensis frater Petrus de Valleviridi per dictum capitulum generale.

Et notandum, quod isto anno ad instantiam multorum magistrorum et fratrum de provincia dictus magister Iohannes de Podionucis intravit provinciam; et fuit hic in conventu Barchinone ·xii· februarii [1400]; et dictus magister ordinis dixit michi, quod habebat in ordine ·xxv· annos et in etate ·xxxvii· annos; et erant satis tres annos, quod ipse fuit magistratus in theologia. Et fuerunt facte et portate (?) multe et multe accusationes contra provincialem tam in personalibus quam in officio; et multi processus et scripture contra eum. Et dictus provincialis timendo de absolutione impetravit clandestine unam litteram apostolicam a Benedicto papa, in qua papa subtrahebat provincialem tam [quoad] officium quam personam a potestate dicti magistri ordinis. Dictus autem magister ordinis, antequam ista littera apostolica esset sibi presentata, in presentia suorum sociorum fratrum Iohannis de Merula (1) et Petri de Ciriut (2) et sui notarii absolverat iam dictum provincialem, ita tamen ut nunc pro tunc esset absolutus in sequenti capitulo generali (esset absolutus). Nam dicta papalis littera fuit presentata magistro ordinis ·xix· marcii et ipse absolverat eum ·xiiii· marcii, que fuit dominica secunda quadragesime. Et postmodum fuerunt secuti magni tumultus in provincia. — Et tandem dictus reverendissimus magister ordinis visitavit aliquos conventus provincie recedendo de Barchinona. Et recessit de Barchinona die martis immediate post pascha, que computabatur ·xx· aprilis; et recedendo de Barchinona ivit ad regem, qui erat in Villalibera, et inde Terraconam ad visitandum conventum. Et ante suum recessum

(1) De Joanne de Merula cf. Eubel l. c. n. 872.
(2) « Ciriut » parum clarum in codice, forte legendum est « Civit ».

de Barchinona fecit me priorem sororum predicatricum ·xx· aprilis coram toto consilio.

Et isto anno domina Maria uxor illustrissimi domini regis Martini intravit Barchinonam noviter coronata. Et civitas fecit magnam sollempnitatem tribus diebus continuis.

Et dictus magister ordinis recedendo de Terracona ivit Ilerdam et fuit ibi per unum mensem, et visitavit dictum conventum. Et recedendo de conventu Ilerdensi absolvit priorem fratrem Iohannem de Mena, et ivit Dertusiam, et inde ad santum Matheum et visitavit conventum et statim ivit Valentiam; et fuit in conventu Valentino per tres fere menses et visitavit dictum conventum et monasterium sororum. Et cardinalis Gandie et episcopus ibidem isto anno noviter veniendo de Avinione intravit Barchinonam ·vi· septembris. Item erat in Barchinona cardinalis de Cathania dominus Petrus Serra Xativensis, bene erant quatuor vel quinque menses. Et dictus magister ordinis recessit de Valencia ·xvii· septembris et ivit Cesaraugustam.

Et dum magister esset in Cesaraugusta, frater Petrus Corregerii provincialis fecit legi quandam litteram apostolicam oraculo vive vocis, quam misit cardinalis de Tesarea (1), dicto provinciali, et fuit data Avinione ·xviii· septembris et lecta in capitulo inter duo signa vesperorum ultima septembris. Et ista die recessit cardinalis de Gandia versus Gerundam. Et [postquam] istam litteram impetravit dictus provincialis, tenuit capitulum frater Stephanus Miquel et legit eam in capitulo frater Bernardus Mayoll (2); et continebat dicta bulla vel littera subtractionem obediencie a magistro in tota provincia Aragonie et revocationem omnium per magistrum factorum et faciendorum in provincia Aragonie. Et ita erat magnus tumultus in provincia et fratres principales magistri invocaverunt dominum regem Martinum contra provincialem et miserunt fratrem Pe-

(1) « Tesarea » forte legendum est « Tirasona ».
(2) De Bernardo Mayoll cf. EUBEL l. c. n. 1331.

trum de Valleviridi lectorem conventus et fratrem Franciscum Poncii (1) magistrum studentium ad magistrum ordinis apud Cesaraugustam, ut statim veniret.

Et interim dominus rex fecit fieri enquestam; et fecerunt enquestam ex una parte halguazirus (2) domini regis dominus Franciscus de Vilamari; et ex alia parte dominus B. de Gualbis legum et in decretis doctor, quia dicta bulla fuit lecta contra inhibitionem domini regis et multa innovata contra eius preceptum. Verum post antea dictus magister ordinis, dum esset in Valencia quarta septembris, absolvit ab officio prioratus Barchinonensis fratrem B. de Carrera et fecit vicarium conventus lectorem conventus et littera absolutionis fuit exequuta et in capitulo lecta in crastinum exaltationis sante crucis. Et completa finaliter enquesta predicta et facta relatione domino regi contra provincialem, ego exivi obviam magistro ordinis in loco de Martorello, qui fuit in conventu ·xx· octobris. Et in crastinum hora prime rector santi Iusti ex parte provincialis Io. Bosagah presentavit cum tabellione publico et testibus litteram exilii extra provinciam ex parte cardinalis de Boyl ex precepto pape vive vocis oraculo sibi facto. Et statim in crastinum, quod fuit dies sabbati, dominus rex audivit de mane magistrum ordinis presente provinciali et multis baronibus et episcopo Barchinonensi. Et recepit pro themate coram rege: «tu es refugium meum a tribulatione, que circumdedit me». Et in hoc fuit provincialis presens. Et statim dominus rex commisit totum factum domino Barchinonensi episcopo, suo confessori de ordine fratrum minorum, domino Geraldo de Cervilione, et archiepiscopo Athenarum.

Et intermedio istius temporis, ultima octobris et prima novembris, dictus dominus rex fecit fieri magnam sollempnitatem de nepte sua domina Isabella filia fratris sui regis Iohannis quondam, quam dedit in uxorem domino regi Ludo-

(1) De Francisco Poncii cf. Eubel l. c. n.1056, 1057.

(2) Halguazirus sive alguazirus iustitiarii dignitas apud Arabes = oficialis praefecti (Ducange).

vico regi Neapolitano filio domini ducis Andegavie. Et ista Isabella communiter vocabatur regina Neapolitana. Et exivit Barchinonam in die omnium sanctorum post prandium. Et in hiis diebus dominus rex precepit provinciali, quod non celebraret capitulum, quod ipse provincialis prolongaverat usque ad dominicam infra octavam santi Martini; et rex per litteram suam prolongavit propter bonum pacis usque ad conversionem beati Pauli apostoli. Et dicta littera prolongationis fuit lecta in capitulo ·v· novembris. Et in die omnium sanctorum febris quartana arripuit magistrum ordinis, et tandem dictus magister ordinis remansit in Barchinona usque ad dominicam secundam adventus. Et intermedio istius temporis fuit magna controversia inter ambas partes coram domino rege. Et in recedendo dictus magister ordinis arripuit viam versus dominum papam et remansit infirmus in Montepesulano de dicta quartana fere usque ad medium quadragesime; est verum, quod ipse magister misit sibi multos et multos fratres; et tandem dictus magister ivit ad papam et faciendo sibi collationem recepit pro themate: « Non dimittam te, nisi prius benedixeris mihi ». Et peracta collatione statim papa subiunxit: Domine magister, sequitur in textu: « Et benedixit eum in eodem loco eritque benedictus ». Et post multa et multa peracta papa restituit obedientiam predicto magistro ordinis, et bulla fuit missa per magistrum in provincia, et lecta in conventu Barchinonensi in die santi Petri martyris ante prandium, que fuit penultima aprilis [1401]; et mox fuit missum transsumptum per provinciam. Ego tamen tunc eram Terrachone pro facto sororum predicatricum de Tamarito. Et fuit scriptum provinciali per dominum [card.] de Thiragona ex parte pape, [ut] adiret ad capitulum generale celebrandum in Montepessulano per dictum magistrum; et celebrato capitulo magister et ipse irent ad papam. Et provincialis nil fecit, sed remansit in Barchinona. Et recessit de Barchinona ·xxx· madii quatuor dies ante festum corporis Christi usque Gerundam expectando ibi rumores capituli. Magister autem ordinis quartanarius cele-

bravit sollempne suum generale capitulum in Montepessulano in festo pentecostes; ubi fuerunt, ut dicitur, octingenti fratres; capitulum generale et provinciale fuerunt, ut est de ordine. Et capitulum provinciale provincie Tholosane; et fuerunt multi et multi fratres de provincia nostra; et provincialis non fuit tactus quoad absolutionem, et hoc propter papam, sed remansit in suspenso. Et quidam dicebant eum provincialem, quidam non. In finalibus ·xxii· die augusti dictus provincialis recessit de Gerunda eundo Avinionem cum tribus fratribus B°. Carrera, Raymundo de Cigario, Iohanne Natalis (1), et in Avinione fecit suam procuram. Et fuit in Barchinona veniendo de Avinione ·iii· januarii [1402], magistro ordinis remanente in conventu Aquensi provincie Provincie, ut dicebatur. Et dictus provincialis sabbato sequenti, quod erat septima ianuarii fecit legere quandam bullam apostolicam, in qua continebantur capitula presencia: Primum quod papa mandabat, quod obediremus sibi, ut vero provinciali; secundum quod papa absolverat omnes priores et priorissas secundum statuta ordinis; tertium, quod obediremus dicto magistro ordinis tamquam vero magistro non derogando in aliis, nisi quod non poterat provincialem absolvere, sed approbando omnia, que fecerat in provincia et etiam fienda per ipsum. Et statim ad breve tempus dictus provincialis recessit de Barchinona pro celebrando suum provinciale capitulum in Xativa. Et recessit de conventu Barchinonensi ·xii· ianuarii et capitulum erat celebrandum in conversione santi Pauli apostoli. Et sequens generale capitulum fuit assignatum in conventu Palencie de provincia Hispanie.

Anno Domini ·m°·cccc°· secundo capitulum provinciale fuit celebratum Xative in die conversionis santi Pauli apostoli per dictum Petrum Corregerii provincialem bullatum. Et istud fuit capitulum suum terciumdecimum; fuerunt in primis lecte due bulle apostolice, prima que supra, secunda comissoria; si

(1) De Joanne Natalis cf. EUBEL l. c. n. 1052.

controversia quevis oriretur inter provincialem dictum et fratres provincie, cardinalis Gandie et de Catania essent iudices. Item fuerunt lecta acta capituli generalis. Item diffinitores post prandium satis tarde fuerunt facti cum magna discordia; nam multi fuerunt electi. Et diffinierunt pro natione Cathalonie fratres Petrus de Fonteluporum bachalarius et Iohannes Forçor, pro natione Aragonie frater Nicholaus Mena, pro natione vero Navarre dando ius nationis sibi, quia non fuerunt nisi duo fratres iuvenes de Navarra in capitulo, Petrus Cesma et Iohannes Bonahora, diffinivit frater Sancius Porta magister. Et in isto capitulo ego fui solum tribus diebus, et recessi durante capitulo, veniendo Dertusiam ad dominum regem pro negociis predicatricum, et regem non inveni, deinde Tamaritum etiam pro negotiis dictarum sororum. — In isto etiam capitulo fuit absolutus ab officio prioratus Barchinonensis frater Franciscus Leopardi et lector conventus fuit frater Sancius Porta per dictum provinciale capitulum. Et notandum quod ·xiii· marcii priorem elegimus isto anno cum magna controversia et contradictionibus; et pars adversa elegit fratrem Bernardum Dulcis et habuit ·xxii· voces, et nos elegimus fratrem Miquelem de Podio magistrum et habuit ·xxiiii·, et provincialis in Valencia cassavit utramque electionem et iterum elegimus cum maiori controversia et tumultu et contentionibus et infamationibus pessimis ·xxvii· aprilis. Et pars adversa elegit dictum vicarium fratrem Bernardum Dulcis; et habuit ·xxiii· voces; et nos elegimus dictum magistrum Miquelem, et habuit ·xxvii· voces. Et iterum provincialis in Valentia cassavit utramque electionem. Et fuit lecta littera cassationis in Barchinona ·viii· junii. Et iterum tertio elegimus ·vii· julii cum magnis contradictionibus hinc inde. Et pars adversa elegit dictum Bernardum Dulcis vicarium; et habuit ·xxi· voces. Et nos elegimus dictum magistrum Miquelem; et habuit ·xxviii· voces. Et fuit commissa confirmatio per provincialem fratribus Anthonio Folqueti magistro et Mathie Bartholò. Qui confirmaverunt dictum nostrum electum magistrum Miquelem de

Podio post multas contradictiones ·xxvii· julii. Et prior fuit in conventu vigilia vigilie beati Dominici. Et notandum quod, antequam dictus magister Miquel prior arripuisset viam suam eundo Cesaraugustam pro capitulo, appellavit a provinciali cum triginta octo fratribus, qui appellationem cum tabellione publico presentavit domino episcopo Barchinonensi et eius vicariis, ut est de iure. Et statim dictus prior recessit de Barchinona cum suo socio fratre Balai de Montetorio socio conventus et ivit Cesaraugustam, et presentavit provinciali appellationem; et fuit solum in capitulo quatuor diebus; et venit Barchinonam; et statim iterum appellavit a dicto provinciali capitulariter vel conventualiter cum tabellione publico; et erat magna divisio in conventu.

Anno Domini ·m°·cccc°· secundo capitulum provinciale fuit celebratum Cesarauguste per dictum fratrem Petrum Corregerii provincialem bullatum et papatum in festo nativitatis virginis gloriose. Et istud fuit capitulum suum quartumdecimum. Fuerunt facti diffinitores bene sero fratres Anthonius Socannats, frater Iohannes Lombardi (1) pro natione Cathalonie, Iohannes Alfocea (2) prior Cesaraugustanus pro natione Aragonie, frater Iohannes Durandus pro natione Navarre. Et post capitulum fuit motus magnus tumultus et controversia super fratribus noviter assignatis et aliis multis hospitibus, eo quia prior magister Miquel de Podio et alii fratres principaliores nolebant eos admittere in conventu. Et totus conventus erat clausus hinc inde. Et ex hoc fuerunt secuta scandala valde magna et gravia, intantum quod consiliarii civitatis ceperunt octo fratres sicut mali consiliarii fatui (!) et destructores religionis. Et in finalibus venit dictus papalis provincialis; et fuit in conventu ultima octobris vigilia omnium sanctorum valde sero.

Et erant consiliarii civitatis isto anno Simon de Marimon,

(1) De Joanne Lombardi cf. Eubel l. c. nn. 885, 1024, 1199.
(2) Videtur esse idem ac Joannes Arboçar, de quo supra.

Geraldus de Palou, Franciscus Marquet de Palou, Thomas Geron, Iohannes de Valls (1).

Item appellationes revocationis fuerunt in capitulo cum tabellione publico 8. die novembris ante prandium. Item acta fuerunt lecta 9. novembris immediate post prandium. Item ·x· novembris fuerunt de conventu per provincialem et consilium bene ·xv· fratres expulsi et revocati.

Item isto anno mortuus est lector sedis magister Antonius de Podio (2) in principio mensis septembris; et post elegerunt magistrum Sancium Porta. Et noluit acceptare. Et in principio mensis novembris elegerunt in lectorem sedis magistrum Miquelem de Podio. Et erat simul lector et prior Barchinonensis. Item isto anno ivi ad magistrum ordinis apud Montem albanum super Tholosam ad ·vii· leucas; et recessi de Barchinona prima decembris, et fui in Barchinona in die santi Iohannis evangeliste hora prima.

Notandum, quod campana nostra antiqua fracta, que ponderabat ·x· quintalia et medium et ·x· libras, descenderat de campanili in die conversionis santi Pauli post prandium. Et habebat desuper tres circulos literarum superius iuxta les nances. In primo circulo erat scriptum: Benedictus sit super omnia deus unus, pater et filius et spiritus sanctus Amen. In secundo circulo erat scriptum: Deus homo Iesus Christus Marie filius autor beatorum laudetur in eternum Amen. In tertio circulo erat scriptum: Bernardus Errati de Ludeva me fecit Barchinone anno domini ·m°·ccc°·xxxvii°· Et etiam notandum, quod isto anno [1403] · xvii · februarii, que fuit sabbatum, post prandium hora vesperorum fuit effusa et facta la nostra nova campana in orto, ubi fuit magna multitudo populi et secularium et mulierum; et duravit ignis in fornace, quousque materia fuit fusa et bene temperata per tres horas. Et fuit ibi totus

(1) *Dietari del Antich Consell Barceloni* I, Barcelona 1892, p. 92 loco « de Valls » legitur « Desvall ».

(2) De Antonio de Podio cf. Diago l. c. p. 53; Eubel l. c. n. 389.

conventus processionaliter cum cruce elevata et ministris indutis in sacris cum reliquiis et canticis. Et in crastinum fuit dominica in sexagesima. Item statim sequenti feria secunda, que fuit dies lune, dicta campana fuit sub terra extracta et ponderata in ferro ante portam ecclesie. Et ponderavit ·xii· quintalia et ·xxx· libras, ita quod ponderavit plusquam antiqua campana unum quintale cum dimidio et ·xx· libras, sic computando totam materiam positam in fornace. Nam posuit magister Bernardus de Podio Cathalanus in fornace ·xvi· quintalia, de quibus fusa materia et facta et completa campana superfuerunt duo quintalia cum dimidio, et in fumo et cagaferro unum quintale et ·xx· libras; et sic remanent ·xii· quintalia, que ponderat dicta campana et ·xxx· libras. Item in dicta campana sunt duo circuli literarum; primus est: anno a nativitate domini ·m°·cccc°·iii°· sub prioratu magistri Miquel de Podio; in secundo circulo est: mentem santam spontaneam honorem deo et patrie liberationem. Item dicta campana fuit sigillata sigillo officii prioratus Barchinonensis, in quo est impressa imago beate Katerine; et est ibi signum dicti magistri. — Item in die Katedre santi Petri post prandium, que fuit ·xxii· februarii, decreto provincialis fratres B. Poncii et Johannes Martini fuerunt inclusi in carcere, quia, ut dicebatur, furati fuerunt librum catholicon sollempnem de libraria monasterii de Pruliano, quum iverunt ad magistrum ordinis, de quo fuit magna verecundia et confusio provincie. — Et ultima februarii, que fuit feria 4. in capite ieiunii, ante prandium dicta campana fuit benedicta vel baptizata et vocata Katerina; et fecit hoc episcopus Mayoric. Et fuerunt compatres Miquel Roura, Petrus de Torrente, Petrus Torsos cancelarius, Iohannes de santo Ilario sacerdos et Constantia uxor Bernardi Puyoll apothecarii. Et dederunt inter omnes de festorio ·x· florenos cum dimidio. Et eadem die post prandium suspenderunt eam superius in campanili, ubi pulsaretur. Et pulsavit, sicut est consuetum, 4. marcii, que fuit dominica prima in quadragesima, in matutinis.

Item nota, quod papa de Luna Benedictus XIII. exivit palatium suum papale, ubi fuerat arrestatus et quasi captus per magnum tempus, ·vii· marcii die martis de nocte tractantibus dominis nobili Petro de Pradis, Vitali de Blanis milite, Francisco Delranda, Francisco de Blanis doctore. Et fugit in castrum de Renardes (1).

Item campana parva, que olim erat in campanili, ponderabat unum quintale et una roua. Et fuit facta una alia nova, que ponderabat septem quintalia exceptis 9. libris. Et sunt ibi duo circuli literarum. Primus dicit: Christus venit in carne pro nobis mortuus est et resurrexit. Secundus dicit: Ecce crucem domini refugite partes adverse. Et est ibi una crux. Et [posita fuit] in campanili ·xv· aprilis, que erat festum pasche, et pulsavit, ut moris est. — Item isto anno fuit capitulum generale celebratum in conventu Palentie in provincia Yspanie per dictum fratrem Iohannem magistrum ordinis. Et fuit diffinitor pro natione Navarre frater Stephanus Miquell de voluntate nationis et factus lector Barchinonensis pro primo anno frater Franciscus Poncii, pro secundo anno frater Franciscus Sala (2)· Et sequens generale capitulum assignatum Barchinonam de provincia Aragonie. — Item fui absolutus a prioratu predicatricum per litteram magistri ordinis datam in Quoquolibro (3) ·xxii· septembris, que erat dies martis; et ego recepi dominica ·xvi·, que erat ·xxvii· septembris [1405] de mane et statim post missam ante prandium legi eam in capitulo coram sororibus congregatis. Et fuit successor meus frater Anthonius de Socannats. Item dictus frater Bernardus Poncii fuit inventus mortuus in carcere de nocte ·ii· octobris et in crastinum sepultus in spacio extero ante ipsum carcerem intrando. Item dictus Socannats fecit fidem de sua littera die jovis 8. octobris et intravit capitulum sequenti mane et incepit pro themate: in caritate radicati et fundati.

(1) Chateau Reynard.

(2) De Francisco Sala cf. EUBEL l. c. nn. 1112, 1346, 1347, 1361, 1362, 1363, 1399.

(3) Coblliure *gallice* Coliour.

Anno domini ·m°·cccc°· sexto capitulum provinciale fuit celebratum Osche in festo nativitatis virginis gloriose per fratrem Petrum de Fonteluporum magistrum, novum priorem provincialem et heretice pravitatis inquisitorem. Et istud fuit suum primum capitulum. Et fuerunt diffinitores pro natione Cathalonie fratres Michael de Podio magister, Franciscus Leopardi prior Gerundensis, pro natione Aragonie frater Petrus Busgueti licentiatus, pro natione vero Navarre frater Iohannes de Laguena. In isto capitulo interfui ut visitator regni Valentini. Prior frater Iohannes Lombardi, lector pro prima parte anni frater R. Ermengoll, pro secunda parte frater Nicholaus Vitalis (1) per preteritum capitulum generale. In isto capitulo fui datus in socium reverendo provinciali ad sequens generale capitulum in conventu Pictaviensi de provincia Francie. — Fuerunt consiliarii hoc anno G. de Valsecha legum doctor, Franciscus Romei, Petrus de Cigiis, Ludovicus de Gualibus et Iohannes Ros. Notandum, quod inclita domina Sibilia Fortiana uxor quondam illustrissimi domini regis P. obiit isto anno in nocte beate Katerine virginis; et tenuerunt eam mortuam ·xviii· diebus, et dominica tertia adventus fuit sepulta de mane in monasterio fratrum minorum. Item isto anno mortua est inclita domina Maria regina coronata regnans uxor illustrissimi domini regis Martini in die sanctorum Innocentium (2), que obiit eundo Valenciam ad regem maritum suum in Villaregali; que statim fuit asportata Valencie et in deposito posita in monasterio sancti Vincentii monachorum alborum et postea translata. Item isto anno natus est primogenitus regni Sicilie in nocte natalis domini et vocatur Martinus et mortuus est.

Anno domini ·m°·cccc°· septimo capitulum provinciale fuit celebratum Ilerde in festo santi Miquelis per fratrem Pe-

(1) De Nicolao Vitalis cf. Eubel l. c. n. 1059.

(2) Obiit regina Maria de Luna anno 1407 cf. De Bofarull y Mascaró l. c. p. 293; unde corrigas auctorem.

trum de Fonteluporum. Et istud fuit suum secundum capitulum. Et fuerunt diffinitores pro natione Cathalonie fratres Romeus Roselli magister, Franciscus Sala licentiatus, pro natione Aragonie Iohannes de Alfocea, pro natione vero Navarre Petrus de Burgo. In isto capitulo non fui vocalis capituli et in capitulo Pictaviensi fui factus provincialis Terre sancte et diffinitor. Et nondum legeram litteram absolutionis. Prior frater Iohannes Lombardi fuit absolutus in actis. — Fuerunt consiliarii hoc anno Ferrarius de Gualbis, Iohannes Conomines, Miquell Roura, Gilabertus de Malla, Iohannes Fivaller. — Item lector conventus per capitulum generale frater Iohannes Natalis. Item isto anno ·xxi· octobris die ·xi· [millium] virginum post prandium fuit lecta litera absolutionis mei provincialatus Terre sancte. Item ·xxii· octobris die sabbati hora prime fui electus in priorem Barchinonensem unanimiter et concorditer; et habui ·xxxvii· voces; et prima die novembris dies martis festum omnium sanctorum recepi litteram confirmationis, [que est] ante prandium in capitulo lecta; et ista die intromisi me de regimine conventus.

Anno Domini ·m°·cccc°· octavo capitulum provinciale fuit celebratum Sangose in festo nativitatis virginis gloriose per dictum provincialem. Et istud fuit suum tertium capitulum. Et fuerunt diffinitores pro natione Cathalonie fratres R. Ermengoll, prior Valentinus, Petrus Vives, prior Ilerdensis, pro natione Aragonie frater Sancius de Besaran (1), pro natione vero Navarre frater Sancius de Navascues. Et in isto capitulo fui absolutus a prioratu Barchinonensi et factus vicarius conventus. — Fuerunt consiliarii hoc anno R. Cavall, G. Oliverii, Philippus de Ferreres (2), Galcerandus (3) Cestrada et Marcus Turell. Item lector conventus frater Anthonius Fusterii per magistrum ordinis. Item prior conventus unanimiter et concorditer

(1) De Sancio de Besaran cf. Diago l. c. p. 62.
(2) Ffalip de Sarriera *Dietari* l. c. p. 153.
(3) Loco « Galcerandus » *Dietari* l. c. « Berenguer ».

electus frater Paschasius Udejo (1) magister. Et fuit in conventu · xix · novembris et regere conventum in festo beate Katerine [cepit]. — Notandum, quod isto anno honorabilis magister Vincentius Ferrarii intravit Barchinonam tertio mensis junii cum magna multitudine hominum ac mulierum de diversis partibus mundi eum sequentium propter eius mirabiles predicationes et vitam. Hic predicabat per plateas civitatis, et fratres habuerunt dimittere ortum conventus et destruere, et predicabat in orto et suam missam valde mane celebrabat et tota civitas eum sequebatur, quia virtus de illo exibat et sanabat omnes et multa alia, que longum esset enarrare, [fecit mirabilia] (2).

---

(1) In actis capitulorum provincialium nominatur « Vendeyo ».

(2) Quae hic auctor tradit de S. Vincentio, anno 1409 accidisse constat tum ex eis, qui vitam sancti ediderunt (cfr. inter alias Fages *Histoire de Saint Vincent Ferrier* Paris 1893, tom. I. p. 237) tum ex libro acceptorum et expensorum conventus Barchinonensis. Cuius libri partem quandam de S. Vincentio tractantem inveni in bibliotheca universitatis Barchinonensis in codice sign. 15-5-2 pag. 55. sq.:

1409 Dominica 4. post trin. habuimus de offertorio in orto in missa magistri Vincentii reverendi 178 s. 10.

— Habuimus de offertorio in die B. Margaritae in praedicto orto in missa reverendi patris praedicti 127 s.

— Dominica 5. post trin. habuimus de offertorio in missa praedicti patris reverendi in orto 195 s. 6.

— Dominica 6. habuimus de offertorio in missa reverendi magistri Vincentii in orto 188 s. 6.

— Item habuimus, quos procuravit praedictus reverendus pater conventui amore dei 165. s.

— Habuimus de offertorio in die B. Mariae Magdalenae in missa praedicti patris reverendi 221 s. 10.

— Dominica 7. post trin. habuimus de offertorio in missa reverendi magistri Vincentii 155 s.

— Dominica 8. de offertorio in orto 157. s.

— Habuimus de offertorio in orto in die decollationis beati Iohannis Baptistae 46 s.

— Dominica 13. habuimus de offertorio in orto in missa reverendi patris magistri Vincentii 78 s.

— Dominica 14. et fuit festum nativitatis virginis gloriosae habuimus de offertorio orti 169 s.

— Item dedit magister Petrus de Valleviridi de offertorio, quod fecit inclyta domina regina Violante in praedicta die nativitatis in orto 5 s. 6.

Item dominus rex Martinus fecit isto anno [1409] magnam armatam galearum et navium contra Sardiniam, ut sibi totam insulam subjugaret, et fuit capitaneus dominus P. de Turrillis miles; qui quidem stol (1) recessit de Barchinona ·xxv· mensis madii immediate preteriti, que erat vigilia pentecostes et in ista stol iverant multi comites, vicecomites, nobiles, barones, milites et multe conestabilie de reg[no], et in vigilia corporis Christi fuit in Castro Calleri; et in finalibus ultima die mensis iunii, que erat festum commemorationis santi Pauli, in die dominica illustrissimus dominus Martinus rex Cicilie cum toto suo exercitu habuit campum cum Sardis et trium-

---

Gasto.

1409 — 14 iunii emimus confectiones sucarare pro magistro Vincentio Ferrarii reverendo, qui venit noviter et pro aliis secum venientibus 16 s. 10.

1410 pro reparatione del terrat, quod erat destructum ratione praedicationis magistri Vincentii fratris bene dulcis 33 s.

1413 Receptae factae occasione magistri reverendi Vincentii.

Dominica prima augusti habuimus de offertorio orti 113 s.

— Item eadem die habuimus de mendicatione pro portali 57 s.

— Item die luna sequenti habuimus de mendicatione pro dicto portali 13 s. 2.

— Feria 3, quae fuit festum s. Petri ad vincula, habuimus de offertorio orti 57 s.

— Sabbato sequenti fuit festum beati Dominici Patris nostri, habuimus de offertorio orti 94 s.

— Dominica septima post trinitatem et in crastinum B. Dominici habuimus de offertorio orti 146 s.

— Item eadem die habuimus de mendicatione pro portali 11 s. 8.

— In festo S. Laurentii habuimus de offertorio orti 132 s.

— In festo assumptionis beatae Virginis Mariae habuimus de offertorio orti 203 s.

— Dominica nona post trinitatem habuimus de offertorio orti 127 s.

— In festo beati Bartholomaei habuimus de offertorio orti 103 s.

— Item eadem die habuimus pro reparatione orti 37 s. 9.

— En lo compte que a 3 de $7^{bre}$ dona le $p^{r}$ del gastar desde 19 de Maiy fine a fins a aquell dia:

Praesentavimus reverendo magistro Vincentio pisces et un barra de malvasia 5 s. 6.

— Item die, qua reverendus magister Vincentius rediit et ospitavit ad conventum, emimus pro collatione eiusdem missia lliura de confits de sucre e un brocal de vi greg 4 s. 6.

— Item decostarunt les coses de loguer que servirem al cadaffal de M. Vicent 15°. per 33 dies 7 s.

— Item decostitit lo cadaffall de desfer a tomar les coses manlavades 4 s. 6.

(1) Stol idem sonat ac classis.

favit et interfecit de Sardis bene ·viii· milia et cepit de vivis duo vel tria milia et cepit quemdam locum vocatum sent iuci. Et dominus rex Martinus pater eius scilicet dicti regis Cicilie auditis rumoribus de tam sollempni victoria fecit et precepit fieri magnum festum et sollempnitatem in Barchinona, quod quidem festum postea in brevi conversum fuit in magnum luctum et fletum; nam dictus illustrissimus dominus Martinus rex Cicilie mortuus est morte naturali in suo lecto statim in sequenti mense iulii in die sancti Iacobi et sepultus [in] sede (1) Castri Calleri, et dies gaudii conversus fuit in luctum et dominus rex Aragonie pater eius auditis malis rumoribus de morte filii fecit fieri pro eo in sede Barchinone sollempnes exequias durantes per octo dies continuos (2).

Item dominus noster papa de Luna Benedictus ·xiii· veniendo de Perpiniano Barchinonam auditis malis rumoribus de domino rege Çicilie in loco de la Rocha, statim venit ad dominum regem, qui tunc erat in sua turri de bell sguard (3), ut consolaretur eum, et fuit cum eo in die santi Laurentii ·x· mensis augusti. — Item isto anno intravit provinciam magister ordinis frater Iohannes de Podionucis et fuit in Barchinona in vigilia assumptionis dicti mensis augusti. Item dominus rex Aragonie duxit uxorem dominam Margaritam filiam domini Petri primogeniti domini Iohannis comitis de Prats (4) et mater dicte regine fuit soror domini Bernardi de Capraria (5), et nuptie fuerunt celebrate ·xvii· mensis septembris et dictus dominus papa desponsavit eos et dictus venerabilis magister Vincentius celebravit missam benedictionis in dicta turri domini regis; et statim dictus honorabilis magister Vincentius recessit de tota Barchinona et ivit versus Minorissam

(1) Sedes hic sumitur pro ecclesia cathedrali.

(2) Qua de expeditione et de morte Martini cf. DE BOFARULL Y MASCARÓ l. c. p. 293.; LAFUENTE VALERA *Historia General de España* Barcelona 1889, tom. V. p. 227 sq.

(3) Bellesguart.

(4) Pradés.

(5) Cabrera.

et dictus dominus noster papa recedendo de turri den Ramon des pla intravit Barchinonam in die dominica festum sancti Miquelis cum magnis processionibus cleri et populi gaudio et tripudio, et fuerunt multi male pransi et tarde et ospitatus est in palacio maiori domini regis.

Anno domini ·m°·cccc°· nono capitulum provinciale fuit celebratum Cervarie in festo nativitatis virginis gloriose per dictum provincialem; et istud fuit suum quartum capitulum. Et fuerunt diffinitores pro natione Cathalonie fratres Bernardus Dulcis, Anthonius de Podio lector Dertusie, pro natione Aragonie frater Martinus Iassa, pro natione Navarre frater Bernardus Saguarra magister, quia natio non habebat in capitulo fratrem idoneum. Et fuit absolutus a prioratu frater Paschasius Uduge magister. Et factus et electus prior unanimiter frater Anthonius de Socannats et per magistrum ordinis Barchinone confirmatus. Et incepit regere conventum in die sancti Miquelis. Item lector conventus per magistrum ordinis frater Petrus de Valleviridi; et fuit factus prior predicatricum in vigilia beati Miquelis et eadem die prior conventus confirmatus. Item ego fui factus lector Maiorice per capitulum provinciale. Et non fui, sed remansi in Barchinona frater simplex. — Item anno isto fuerunt consiliarii in Barchinona Miss. Bernardus de Gualbis, Bernardus Serra, Iohannes de Valh, Iohannes Cesavaces, Iacobus Balistarii. — Item isto anno in vigilia beati Luce magister Miquel de Podio fuit amotus a lectoratu sedis Barchinonensis et positus magister Petrus de Valleviridi.

Item dominus papa de Luna Benedictus ·xiii· isto anno ·xxi· octobris die ·xi· millium virginum in palatio antiquo domini regis in magna aula presente domino rege degradavit novem cardinales et archiepiscopum Tholosanum et aliquos episcopos, et anatematisavit et maledixit, privavit, condempnavit et annullavit totam universitatem et studium Parisiense.

Item frater Franciscus Poncii magister factus fuit per magistrum in conventu regens. — Notandum, quod isto anno [1410]

illustrissimus dominus rex Martinus migravit ad dominum ultima madii die sabbati inter ·x· et ·xi· horam de die ante meridiem in monasterio Vallisdomicellarum (1) currente anno domini ·m°·cccc°· decimo; et corpus fuit portatum de dicto monasterio in civitatem et positum in palatio regio novo templi (!) prima iunii, que erat dominica secunda post octavas trinitatis in sero usque mediam noctem. Item dictus dominus rex fuit sepultus ·xviii· dicti mensis iunii die mercurii; et portatum fuit funus per civitatem et fecerunt circulum corporis Christi; et habuit exequias sollempnes. Cuius anima requiescat in celo. Amen. Et ista eadem die post prandium hora secunda dominus noster papa de Luna recessit de Barchinona versus Montemserratum, deinde usque Terraconam. Item isto anno fuit pascha ·xxiii· marcii. Item dictus magister ordinis recessit de Barchinona versus Terrachonam ·xxv· iunii crastinum sancti Iohannis Baptiste.

Anno domini ·m°·cccc°· decimo capitulum provinciale fuit celebratum in conventu Alcanicii de la Frontera. Et fuit primum provinciale capitulum in festo nativitatis virginis gloriose per dictum provincialem; et istud fuit suum quintum capitulum. Et fuerunt diffinitores pro natione Cathalonie fratres Petrus de Arenys, Franciscus Sala, in sacra pagina magistri; pro natione Aragonie frater Petrus de Bordalba, prior Calataiubii, pro natione vero Navarre frater Iohannes Alamani, Navarrus, prior Alcanicii. Et fuit factus diffinitor in mediate sequenti generali capitulo frater Iohannes de Alfocea Aragonensis. Et ego fui factus visitator regni Valentie tertia vice. Et fuit absolutus a prioratu cum titulo frater Anthonius Socannats. Et in isto capitulo fui socius conventus Barchinonensis. — Item isto anno fuerunt consiliarii Barchinonenses Ferrarius de Gualbis, Anthonius Bussoti, Berengarius Descortez, Iohannes Ros, Petrus Balistarii. — Item regens conventus per magistrum ordinis magister Franciscus Poncii. Item bacalla-

(1) Valldonzella, hodie infra muros Barcinon. civitatis.

rius pro forma in secundo anno frater Petrus Marrofi. Item magister studentium pro forma. . . . . . . . . . . . . . . . . . (1).

Item biblicus per provinciale capitulum et non pro forma frater Iohannes Garcias (2). Item fuit electus in priorem conventus unanimiter et concorditer et confirmatus per provincialem et lecta fuit in capitulo in die sanctorum Simonis et Iude de mane et iterum regens conventus frater Laurentius Olivarii.

Item isto anno quinta novembris dominus papa de Luna recessit de Terracona et ivit Cesaraugustam. Item isto anno recessit de Cesaraugusta post festum . . .; et ·x· eiusdem fuit in santo Matheo. Item dominus Anthonius de Luna proditor isto anno in mense madii [1411] interfecit proditorie dominum archiepiscopum Cesaraugustanum in loco de Almunia iuxta Cesaraugustam (3).

Anno domini ·m°·cccc°·xi°· capitulum generale simul cum provinciali et etiam capitulum provinciale provincie Provincie in conventu Gerundensi in festo pentecostes per magistrum Iohannem de Podionucis generalem et per dictum provincialem Aragonie provinciale et per magistrum Petrum Solani (4) provincialem suum provinciale [celebratum est]. Et fuit annus diffinitorum generalis capituli. Et fuerunt diffinitores provincialis capituli Aragonie fratres Franciscus Poncii magister, Raymundus de Sijario, prior Gerunde pro natione Cathalonie, frater Iohannes Martinus pro natione Aragonie, pro natione vero Navarre, quia non habebat fratrem ydoneum in capitulo, frater Sancius de Besaran, prior Cesaraugustanus. Item prior conventus frater Laurencius Olivarii. Item magister regens in conventu frater Petrus Marrofi. Item bacallarius pro forma frater Raymundus de Cijario. Item magister studentium pro forma frater Petrus Germandi de Podiocerdano. Item biblicus

(1) Deest in codice una linea.
(2) De Ioanne Garcia cf. Diago l. c. p. 144.
(3) Qua de re cf. infra pag. 87.
(4) De Petro Solani cf. Diago p. 273.; Eubel l. c. nn. 925, 1023, 1162.

et non pro forma frater Iohannes Alou. — Item isto anno fuerunt consiliarii Barchinone: Iohannes de Plano (1), legum doctor, Franciscus Burgensis de Viladecans, Ludovicus de Gualbis, Iacobus de Valsecha, Franciscus Camos. Item ·viii· die mensis septembris fuit absolutus ab officio prioratus frater Laurentius Olivarii et ·xii· eiusdem mensis electus unanimiter et confirmatus per provincialem presentem frater Franciscus Poncii magister.

Item isto anno interfectus fuit, et habuimus notitiam, dum in capitulo eramus, reverendissimus dominus dominus archiepiscopus Cesaraugustanus Ennecus de Aredia, ut dicitur, per nobilem Anthonium de Luna in loco de la Almunia ad ·vi· leucas super Cesaraugustam (2). — Item isto anno propter carentiam regis fuerunt congregati maiores regni de quatuor brachiis regulares et seculares in Dertusia ad parlamentum, quia regnum erat positum in magno periculo. Nam Vascones iam ceperant Castellanias de Rosannis, et regnum Valentinum erat plenum Castellanis et Vasconibus et totum Urgellum Vasconibus et Cesaraugusta Castellanis (3). Et in dicto parlamento (4) post multa consilia elegerunt novem scilicet archiepiscopum Tarraconensem Zagarriga, Bernardum (5) de Valsecha doctorem in utroque, Bernardum de Gualbis, doctorem etiam in utroque pro Cathalonia; Moss. Franchi de Aranda, Berengarium de Bardaxino, episcopum Oscensem [Dominicum Ram] pro Aragonia; Todon (6) de Cartusia, magistrum Vincentium Ferrarii et unum doctorem de Valentia (7) pro regno Valentie. Et isti novem cum toto dicto parlamento elegerunt

(1) Despala Dietari l. c. p. 169.

(2) Qua de re cf. Geronimo Zurita *Anales de la corona d'Aragon* Zaragoza 1669, tom. III. p. 22. B. sqq.

(3) Cf. Bofarull *Historia de los Condes de Urgel* Barcelona 1853 tom. II.

(4) De electione Ferdinandi cf. Bofarull y Mascarò *Los Condes de Barcelona* etc. l. c. p. 298. sqq.

(5) Guillelmum Bofarull l. c. p. 299.

(6) Bonifacio Ferrer prior de la Cartuxa Bofarull l. c.

(7) Nempe Ginés Rabassa Bofarull l. c.

